

No

CATECHISMUS
AD
ORDINANDOS.

CATECHISMUS AD ORDINANDOS,

Juxta Doctrinam CATECHISMI CONCILII TRIDENTINI,

OPUS CLERICIS ad Sacros Ordines, præsertimque Sacerdotium non solùm promovendis, sed & promotis utilissimum.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus.
Malach. 2.

EDITIO DECIMA OCTAVA COLONIÆ, ET PRIMA VENETA.



VENETIIS, MDCC

Apud JOANNEM TIBER

sub signo Providenti

Superiorum Permissu, ac Pri



PRÆFATIO.

CUM a Sacro-ſancta Synodo Tridentina ſancitum ſit, ut, „ qui „ ad ſacros Ordines promovendi „ ſunt, litteris, & iis, quæ ad „ Ordinem exercendum pertinent, ſint „ inſtructi; ac præterea, qui ad Presby„ teratus Ordinem aſſumuntur ad Popu„ lum docendum ea quæ ſcire omnibus „ neceſſarium eſt ad ſalutem, ac admi„ niſtranda Sacramenta, diligenti exami„ ne idonei comprobentur: " ſacrorum Ordinum præſertimque Sacerdotii candidati præcipuum in perdiſcenda Chriſtiana doctrina ſtudium adhibeant neceſſe eſt.

Quamobrem Clericorum inſtitutioni præpoſitus quidam Theologus operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi hunc ederet librum, qui *Catechiſmus ad Ordinandos* ideo inſcriptus eſt, quod tum Concilii Tridentini, tum Catechiſmi ejuſdem Concilii juſſu editi, doctrinam Populo Chriſtiano, ac maximè Populi Chriſtiani Ducibus & Magiſtris neceſſariam, eamque in epitomen contractam & uſui Ordinandorum accomodatam catechiſtica methodo explicet.

Iſtius igitur operis hic ſcopus eſt, ut prætermiſſis Scholaſticis Quæſtionibus, quarum tractatio Ordinandis non admodum neceſſaria eſt, omnia tàm Fidei, quàm Theologiæ ſpeculatricis, & Mora-

lis

lis dogmata in unum collecta velut ob oculos exhibeantur, tradita prius cujuslibet rei, quæ scitu Ordinandis necessaria est, perfecta & completa definitione.

In hoc autem Catechismo, quamvis in tres duntaxat partes tributo, idem ordo servatur, ac in Catechismo Tridentino; siquidem prima pars symbolum exponit, secunda Sacramentorum doctrinam complectitur, tertia decalogum simul, & Orationem Dominicam explicat: sed præterea in prima parte, explicationi Symboli præmittuntur notiones Dei, Trinitatis, Incarnationis, & Gratiæ; in secunda verò tractatui de Sacramentis tàm in genere, quàm in specie subjicitur notitia Censurarum; & irregularitatis; in notitia denique explicationi Decalogi præmissæ sunt duæ tractationes, una de virtutibus, inprimisque de Fide, Spe, Charitate, & Religione; altera de Peccatis: explicationi verò Orationis Dominicæ adjecta est brevis Angelicæ Salutationis expositio, nec non Horarum Canonicarum explicata definitio.

In iis verò omnibus tractandis hæc est observata methodus, ut de qualibet re tradatur primum completa definitio, quæ accuratè & dilucidè per partes singulas subinde explicetur; additis sparsim notationibus & observationibus, quibus ea explanentur, quæ ad rei definitæ perfectam notitiam conducere visa sunt, adjectisque ad marginem ritulis, quibus quæstio-

ſtiones contextu explicationum, notationum, & obſervationum comprehenſæ indicentur.

Cæterum ſi quis fortè expoſtulet & quæratur multas ac varias, quibus firmari poſſint Fidei & Theologiæ dogmata, probationes ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & ratione ipſa petitas in hoc opere omiſſas fuiſſe; meminerit ille, non ut univerſa prolixè tractata exhibeatur Theologia, Opus iſtud fuiſſe editum, ſed ut omnia, quæ tum ad fidem, tum ad Theologiam pertinent, dogmata non quidem compto & exquiſito nimis at facili & ad rudiorum captum attemperato dicendi genere ſummatim tradantur: quo & juniores Clerici viam ſibi parent ad fontes ipſos argumentorum & probationum adeundos, cæteri verò quæ aſſiduo & diuturno ſtudio varios apud Authores legerint, omnia ad epitomen redacta in promptu habeant.

INDEX

INDEX
CATECHISMI
AD ORDINANDOS.

PARS PRIMA.

SECTIO I. De Deo.

SECTIO II. De Trinitate.

SECTIO III. De Incarnatione.

SECTIO IV. De Gratia.

SECTIO V. De Symbolo.

Quo-

PARS SECUNDA

SECTIO I. De Sacramentis.

§. I. De Baptismo.

§. II. De Confirmatione.

§. III. De Eucharistia.

De

Libri

CATECHISMI AD ORDINANDOS

PARS PRIMA.

SECTIO PRIMA

De Deo.

Quid est Deus?

EST *Ens a se*, seu *independens*. Vel est *ens actu intelligens per essentiam*. Prima definitio. Secunda.

Vel est *ens infinitè perfectum, quo nec majus nec melius existere, & cogitari potest*. Tertia.

Vel denique est *spiritus independens, perfectissimus, infinitus, simplicissimus, immutabilis, aeternus, immensus, & incomprehensibilis, quia omnia videt, omnia potest, omnia creavit, & conservat, nec non sua providentia regit & gubernat*. Quarta.

Circa has definitiones observa primò tres potissimum esse Theologorum sententias de essentia Dei, prout a nobis concipi, & utcunque definiri potest. In quo consistat differentia Dei.

Alii contendunt essentiam Dei, vel potiùs differentiam ipsius veluti specificam, positam esse in aseitate, Prima sententia.

 seu

ſeu independentia ab omni alio, non tantùm ut cauſa, ſed etiam ut principio, tàm reali quàm virtuali; & juxta illorum ſententiam traditur prima definitio.

Secunda. Alii contendunt poſitam eſſe in ſumma, & ultima Dei perfectione, nempe in intellectione actuali, & ſecundùm hanc ſententiam traditur ſecunda definitio.

Tertia. Alii denique volunt poſitam eſſe in congerie, & cumulo omnium perfectionum; & in ea ſententia traditur tertia definitio.

Obſerva deinde: quod, ut perfectior habeatur notio Dei, in quo quidquid eſt, Deus eſt, traditur quarta definitio, ſeu potius deſcriptio Dei per ejus perfectiones tàm eſſentiales, quàm eas quæ ſunt veluti proprietates illius, & quæ attributa divina dicuntur: hæcque definitio per partes eſt explicanda.

Quid ſit ſpiritus. Dicitur primò, *ſpiritus*: *Deus* enim *eſt ſpiritus*, ait ipſe Chriſtus *Joan.* 4. nam eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ corpore caret & figura, nec ſub ſenſus ullo modo cadere poteſt. Hanc veritatem quæ fidei eſt, negarunt olim Anthropomorphitæ, ideo ſic dicti, quod membra humana tribuerent Deo, falsò deluſi quibuſdam ſcripturæ textibus, quibus Deo tribuuntur oculi, manus, &c. Illi enim textus non propriè, ſed impropriè, metaphoricè, & per accommodationem ad noſtrum concipiendi modum

An Deus oculos & manus habeat.

expli-

explicandi sunt, ut inde deveniamus in cognitionem perfectionum Dei, nempe scientiæ, potentiæ, &c.

Dicitur 2. *independens:* Deus enim est ens a se, nec ab ullo alio dependet aut dependere potest, cùm a nulla causa suum esse acceperit, sed habeat a se ipso, dicit enim Moysi: *Ego sum qui sum*, unde existentia actualis, est de conceptu essentiali Dei.

An existentia sit de conceptu Dei.

Dicitur 3. *perfectissimus*: quia habet omnes omnino perfectiones, omnes, inquam, non solùm quæ sunt in creaturis, sed etiam quæ sunt possibiles.

An Deus habeat omnes perfectiones quæ sunt in creaturis & quomodo.

Porrò Deus habet omnes perfectiones quæ sunt in creaturis; alias quidem formaliter & in se, eas nempe quæ nihil involvunt imperfectionis, nec repugnant majori alteri perfectioni, quales sunt intellectus, voluntas, libertas, justitia, misericordia, &c. alias verò habet virtualiter, aut eminenter, quatenus potest eas producere, & dare creaturis: *ex ipso enim & per ipsum, & in ipso sunt omnia Rom.* 11. hinc inferas Deum esse summè bonum cùm sit summè perfectus; bonum enim idem est, ac perfectum.

Cur Deus est summè bonus.

Dicitur 4. *infinitus*, secundùm illud *Psalmi* 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Infinitus autem est Deus, quia & perfectionum ejus non est numerus, & quia essentia, & perfectiones ejus illimitatæ sunt.

In quo consistat infinitas Dei.

Dicitur 5. *simplicissimus*; est enim expers omnis compositionis, *nec in eo aliud est habens, aliud quod habetur*, ut docet D. Augustinus.

An in Deo sit compositio ex essentia, & attributis

Nulla est ergo in Deo compositio actualis ex essentia & attributis, cùm inter essentiam, & attributa non sit distinctio realis, ut erroneè sentiebat Gilbertus Porretanus, neque ipsa attributa inter se realiter distinguantur.

An compositio ex subjecto & accidente.

Non est in Deo præterea compositio actualis ex subjecto & accidente, qualis est in creatis; nam quod *habet Deus, hoc est, & quidquid intelligitur in Deo, substantia est*: ait D. Augustinus.

An compositio ex materia & forma.

Nec denique est in Deo compositio ex materia & forma ut sentiebant Anthropomorphitæ; *Deus enim est spiritus*, ut dictum est.

Quomodo attributa divina distinguantur.

Nota tamen attributa tàm a se invicem, quàm ab essentia Dei, distingui virtualiter, aut ratione, & cogitatione; Deus enim est *unus re, multiplex ratione*, ait D. Thomas 1. *p. qu.* 13.

Dicitur 6. *immutabilis*; ait enim Deus ipse *Malach.* 3. *Ego Dominus, & non mentior*; sanè quidem immutabilitas Dei colligitur ex ejus independentia, infinitate, & simplicitate.

An Deus in tempore creans mundum mutatus sit.

Quamvis ergo Deus non ab æterno, sed tantùm in tempore fuerit Creator, & Dominus; non tamen in tempore verè mutatus est intrinsecè,

sècè, & in se, sed extrinsecè & connotativè, id est, producto mundo denominatus est Creator, & Dominus.

Quamvìs etiam Verbum in tempore fuerit incarnatum & *caro factum*, non tamen intrinsecè mutatum est, sed extrinsecè; non per modum subjecti, sed per modum termini. An Verbum per incarnationem mutatum sit.

Quamvis denique dicat Scriptura Deum irasci, misereri, pœnitere, &c. non tamen illorum affectuum motus esse in Deo propriè intelligendi sunt, sed metaphoricè tantùm, id est, Deus eodem modo se gerere erga nos concipiendus est, ac si reverà his affectibus moveretur. An verum sit Deum pœnitere, irasci, &c.

Dicitur 7. *æternus*; Deus enim, isque solus est æternus, nam æternitas est *interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. Deus autem vitam perfectam, & independentem ab alio, totamque sine successione partem temporis, ac sine ullo termino, id est, initio & fine, quietè & permanenter possidet. Unde dicitur 1. ad Tim. *solus habet immortalitatem*. Licèt autem Angeli & animæ rationales sint immortales, non tamen a se habent immortalitatem, sicut Deus, sed tales sunt dependenter a Deo: si enim ab ipso perpetuò non conservarentur, reciderent in nihilum, ex quo creati sunt. Quid sit Æternitas. An immortalitas solius Dei propria. An etiam Angelorum & animarum.

Dicitur 8. *immensus*; dicit enim Deus apud Jeremiam. *Ego cœlum & terram impleo*; hinc dicitur in symbolo Sancti Athanasii *immensus Pa-*

ter, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Quomodo Dei substantia sit diffusa per totũ mundum.

Porro essentia Dei est in infinitum sine ullis limitibus diffusa, non tamen spatiosa magnitudine, sicut aer, vel lux, ait D. August. sed virtuali tantùm, & incircumscriptiva extensione; itaut sit tota in toto mundo, tota in qualibet illius parte, & etiam tota ultra mundum, non quidem in ullo spatio, sed in seipsa, hinc dicitur, *excelsior cœlo est*, Job. 11.

An etiam sit ultra cœlos.

Quot sint modi, quibus Deus est ubique.

Nota 1. Tres esse generales modos, quibus Deus est ubique, & in omnibus rebus, & locis, 1. Per essentiam seu substantiam, qua res omnes continet, & intimè penetrat. 2. Per potentiam, qua creat & fovet omnia. 3. Per præsentiam, aut scientiam, quatenus omnia nuda & aperta sunt oculis ejus, & videntur ab ipso ut præsentia.

An sint modi speciales, quibus Deus est in quibusdam.

Nota 2. Speciales esse alios modos, quibus Deus est in quibusdam; sic per gratiam, est in justis, non in peccatoribus: per gloriam in solis beatis: per unionem hypostaticam Verbum est in humanitate Christi.

Quomodo intelligendum Deũ esse in cœlis.

Nota 3. Quod, si Scriptura dicat Deum esse in cœlis, non istud ita intelligendum est, quasi Deus sit in cœlis duntaxat, & non ubique, sed quod sit in cœlis speciali modo, quia ibi gloriæ suæ divitias expromit, & majestatem suam Sanctis intuendam præbet: vel dicitur esse in cœlis, quia

quia cœlum eſt mundi pars nobilior, & pars ſumitur pro toto.

Nota 4. Quod, ſi filius Dei incarnatus dicatur deſcendiſſe de cœlis in terras, non id propriè intelligendum eſt, ſed metaphoricè. Deſcendiſſe ergo dicitur, vel ratione affectus miſericordiæ ſuæ erga nos, quos redimere volebat; vel ratione novi effectus, & novi modi, quo cœpit eſſe in terris: licèt enim ſemper fuerit ubique præſens, attamen in terris ſpeciali modo per incarnationem cœpit eſſe; aſſumpta ſcilicet humanitate, in qua cœpit videri.

Quomodo intelligẽdum filiũ Dei deſcẽdiſſe de cœlis.

Dicitur 9. *incomprehenſibilis*: dicitur enim apud Hierem. *Incomprehenſibilis cogitatu*. Ideo autem eſt incomprehenſibilis, quia non poteſt ab ullo alio, quàm a ſe cognoſci perfectiſſimè, ſeu omni modo, & perſpicuitate, qua cognoſcibilis eſt. Ex hoc ſequitur Deum eſſe ineffabilem, id eſt, ejus eſſentiam nullo nomine, & verbo, tum externo, tum interno poſſe perfectè explicari.

Quare Deus ſit incomprehenſibilis.

An Deus ſit ineffabilis.

Nota Deum etiam inviſibilem eſſe; quia nulla creatura poteſt naturaliter eum videre, ut in ſe eſt, ſed tantùm ſupernaturaliter. Deum quidem cognoſcimus in hac mortali vita, ſed abſtractivè per alienas ſpecies, ſive lumine fidei, ſive etiam lumine rationis. Cognoſcimus eum lumine fidei, certò quidem, ſed obſcurè, & inevidenter: lumine verò rationis, licèt cognoſcamus demon-

An ſit inviſibilis & quomodo.

Quomodo Deum cognoſcamus in hac vita.

ſtrativè & evidenter *quod eſt*, non tamen cognoſcimus *quid eſt*, ſed tantùm imperfectè.

Quænam Deus cognoſcat, & quomodo.

Dicitur 10. *quia omnia videt*, quia non ſolùm præſentia, præterita & futura, tàm abſoluta, quàm conditionata, ſed etiam omnia poſſibilia videt, unico actu & intuitu, in ſe ipſo, ſeu in eſſentia ſua, in qua repræſentantur omnia.

Quotuplex ſit ſcientia in Deo.

Ex his collige duplicem præcipuè diſtingui ſcientiam in Deo; alia dicitur viſionis, qua Deus cognoſcit res, quæ habent exiſtentiam in aliqua temporis differentia, alia verò dicitur ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcit res, quæ nunquam habuerunt, vel habebunt exiſtentiam, ſed remanent in ſtatu poſſibilitatis.

An ſcientia conditionalium diſtinguēda ſit a ſcientia ſimplicis intelligentię, & ſcientia viſionis

Nota. Quòd ſcientia conditionalium, ſeu rerum quæ nunquam quidem habebunt exiſtentiam, ſed habituræ eſſent, poſitis quibuſdam conditionibus, quæ nunquam ponentur, reducenda videtur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, proinde non diſtinguenda a ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis.

Quid ſit ſcientia approbationis.

Nota. Quod ſcientia viſionis aliquando dicitur ſcientia approbationis, qua Deus cognoſcit & approbat ut bonum aliquod objectum: hacque ſcientia, ut eſt approbationis, peccata & peccatores non noſſe dicitur Deus.

Quomodo intelligēdum nihil eſſe Deo impoſsibile.

Dicitur 11. *quia omnia poteſt*; Deus enim eſt *omnipotens*, & nihil ipſi eſt im-

impossibile, nisi repugnet in se, & dicat contradictionem, ut v. g. triangulus sine tribus angulis, &c. vel nisi repugnet divinæ perfectioni, ut peccatum, mendacium, fallacia, &c. hæc enim non defectum potentiæ arguunt in Deo, immò potius maximæ Dei perfectionis sunt argumenta.

Nota quod omnipotentia Dei, est ipsamet illius voluntas, quæ efficacissima est; dicitur enim *Ephes.* 1. *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Voluntas autem Dei licèt unica sit realiter, & sit ipsemet Deus, virtualiter tamen multiplex est; alia est enim voluntas beneplaciti, alia signi: alia antecedens, alia consequens; alia absoluta, alia conditionata, alia efficax, alia inefficax. Quotuplex sit voluntas Dei.

Voluntas beneplaciti est *actus internus voluntatis Dei, quo vult aliquid*. Quid sit voluntas beneplaciti.

Voluntas signi, est *externum signum, quo Deus internam voluntatem suam manifestat*, & quintuplex est, expressa hoc versu. Quid voluntas signi.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Voluntas antecedens est *voluntas, qua Deus ex mera bonitate sua vult aliquid consideratum in se*; hac voluntate Deus vult salvare omnes. Quid voluntas antecedens.

Voluntas consequens est *ea, qua Deus vult aliquid consideratum cum omnibus suis circumstantiis*; sic Deus vult prædestinatos duntaxat salvare. Quid consequens.

Voluntas absoluta est *ea, qua Deus* Quid voluntas absoluta.

vult simpliciter & absolutè aliquid, ita ut fiat.

Quid conditionata.

Voluntas conditionata est *ea, quâ Deus vult aliquid sub certa conditione, qua conditio non semper ponitur.*

Quid voluntas efficax.

Voluntas efficax est *ea, quæ habet semper omnem effectum & finem, quem intendit*; & de illa voluntate dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit, Voluntati ejus quis resistit?*

Quid inefficax.

Voluntas inefficax est *ea, quæ non habet effectum & finem quem intendit*; sic Deus vult neminem perire, & omnes ad pœnitentiam reverti.

An Deus concurrat cum causis secundis.

Dicitur 12. *Omnia creavit & conservat*; Deus enim solo voluntatis imperio ex nihilo omnia produxit: *ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Immò & quotidie animas rationales creat, & in corpora infundit: quotidie cum causis secundis concurrit, tum ad productiones novorum individuorum cujuslibet speciei, tum ad actiones illarum sive necessarias, sive liberas.

An Deus conservet omnia.

Præterea entia creata, quandiu existunt, perpetuo influxu, ac veluti continuata productione, a Deo conservantur.

An omnibus provideat, & omnia ad se ordinet Deus.

Dicitur 13. *nec non sua providentia regit & gubernat*; quia Deus ordinat & dirigit res creatas in suos fines particulares, ac præsertim in finem omnium ultimum, qui est ipsemet Deus; nam omnia propter semetipsum operatur Dominus.

Nota 1. Providentiam Dei se exten-

tendere ad res omnes, etiam minimas.

Nota 2. Nihil evenire in hoc mundo, nisi volente, aut permittente Deo.

Nota 3. Justis de causis Deum velle; ut boni affligantur, & mali prosperè agant.

Nota 4. Deum permittere peccata tantùm, non verò eorum esse authorem contra Calvinum.

Nota 5. Providentiam Dei se extendere ad res naturales & supernaturales, prædestinationem verò spectare solos electos ad regnum cœlorum, quorum respectu est specialis providentia: huic opponitur reprobatio.

Quomodo providentia differat a prædestinatione.

De prædestinatione & reprobatione.

Prædestinatio secundùm ethymologiam, est prior destinatio: est autem prior saltem prioritate æternitatis ad tempus, quia ab æterno Deus quosdam prædestinavit.

Quid significet illud nomen prædestinatio.

Prædestinatio latè sumitur tàm in bonam, quàm in malam partem, id est, etiam pro reprobatione sumitur.

Prædestinatio propriè, ut opponitur reprobationi, definitur: *divina & æterna destinatio creaturæ rationalis ad gloriam, cum præparatione mediorum ad illam.*

Quid sit prædestinatio in genere.

Nota 1. Hanc definitionem esse generalem, & convenire prædestinationi Angelorum.

Nota 2. In prædestinatione duo includi, destinationem seu electionem ad gloriam, atque media ad illam, scilicet omnia gratiæ dona.

Quid sit prædestinatio hominis post lapsum.

Prædestinatio hominis post lapsum, definitur a Sancto Augustino, *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei: quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.*

Dicitur 1. *præscientia*, id est præcognitio, ut ait D. Augustinus, eorum quæ facturus est Deus, simul cum prædilectione electorum; ait enim Apostolus *quos præscivit & prædestinavit*: & postea, *quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit illos & glorificavit*. Unde tres sunt effectus prædistinationis, ut mox dicetur.

Dicitur 2. *& præparatio*; prædestinatio enim importat media ad finem, nempe ad gloriam.

Quot sint effectus prædestinationis.

Dicitur 3. *beneficiorum seu donorum Dei*, quæ præcipuè tria sunt, & dicuntur effectus prædestinationis. 1. Est vocatio non qualiscunque, sed secundùm propositum, & efficax, 2. Justificatio, cum dono perseverantiæ usque in finem. 3. Est glorificatio. Ad hos tres effectus reducuntur omnes alii.

Nota quod vocantur etiam reprobi, sed non secundùm propositum, & ali-

& aliquando justificantur, sed non perseverant.

Dicitur 4. *quibus liberantur, quicunque liberantur*. Liberantur autem a malo culpæ in hac vita, & pœnis, aliisque miseriis in altera: liberatio enim inchoatur in hac vita; consummatur in altera; prædestinatio ergo est separatio a massa perditionis communis propter peccatum Adami.

Dicitur 5. *certissimè*, quia prędestinatio infallibiliter sortitur suum finem; & certus est in scientia infallibili Dei, ac definitus prædestinatorum numerus, itaut nec augeri, nec minui possit. An certus sit prædestinatorũ numerus.

Reprobatio est *divina præparatio pœnæ æternæ, ob prævisa peccata*. Sive *decretum divinum æternæ pœnæ propter peccata infligendæ*. Quid sit reprobatio

Nota. Quod reprobatio, saltem positiva, non fit nisi post prævisa peccata; an verò prædestinatio fiat ob prævisa merita, seu bona opera facta ex gratia, non est definitum ab Ecclesia, nec est de fide: asseritur a quibusdam Theologis, & negatur ab aliis, sententiam D. Thomæ amplectentibus. An reprobatio fit post prævisa demerita. An prædestinatio fit ante prævisa merita.

Nota 2. Quod effectus reprobationis sunt quatuor. 1. Permissio peccati. 2. Derelictio in peccato. 3. Exclusio a gloria æterna. 4. Inflictio pœnæ æternæ. Quot sint effectus reprobationis.

Quæ-

Quænam de prædestinatione, & reprobatione sunt fidei dogmata?

An prædestinatio fide credenda.

Primum. Deus de facto, ab æterno quosdam prædestinavit, & cæteros reprobavit; Deus enim nihil facit in tempore, quod non decreverit ab æterno, alioquin esset mutabilis.

An ex parte prædestinati sit aliqua causa prędestinationis.

Secundum. Ex parte prædestinati nullam omnino dari causam prædestinationis, si prædestinatio sumatur prout comprehendit, non tantùm electionem ad gloriam, sed etiam præparationem omnium gratiarum, & proinde primam gratiam, qua Deus ipsum prævenire & excitare decrevit.

An prædestinatio fiat ob merita præcedentia ortum cujuslibet.

Nota 1. Hoc dogma fidei esse contra Origenem, qui existimavit animas ante hunc mundum creatas esse, & propter bona opera, quæ animæ exercuerunt, antequam unirentur corporibus, prædestinatas esse: hic error exploditur ab Apostolo, dicente, *cùm nondum nati essent, aut quidquam boni, vel mali egissent, &c.*

An prædestinatio fit post prævisa merita liberi arbitrii, sine ulla gratia.

Nota 2. Esse contra Pelagianos, qui asserebant hominem bonis operibus, per solas vires naturales liberi arbitrii factis, gratiam prædestinationis posse mereri: hic error similiter exploditur ista Apostoli sententia: *gratia Dei vita æterna*, id est vi-

ta.

ta. æterna non nisi per gratiam obtineri potest.

Nota 3. Esse contra Semi Pelagianos; qui, licèt faterentur nos sine Christi gratia non posse salutem æternam consequi, in quo a Pelagianis dissidebant, existimabant tamen Deum hanc nobis conferre gratiam, ab æterno decrevisse intuitu & occasione alicujus boni operis, vel saltem boni desiderii seu conatus nostræ voluntatis per naturæ vires eliciti: hic error etiam refellitur ab Apostolo dicente: *si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia, jam non est gratia.*

An saltem aliqua merita liberi arbitrii sint motivum & causa prædestinationis.

Tertium dogma. Nemo potest certus esse de sua prædestinatione certitudine infallibili, absque Dei speciali revelatione; & hoc contra Calvinum definitum est a Conc. Trid. ait enim Apostolus, *cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

An aliquis possit esse certus certitudine fidei, se esse prædestinatũ.

Quartum dogma. Licèt quosdam tantùm prædestinarit Deus, attamen voluntate vera & sincera quamvis antecedente, vult omnes omnino homines salvos fieri; & hoc contra Prædestinatianos, Calvinum, Lutherum, & alios: dicit enim Apostolus *Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

An Deus velit omnes homines salvos fieri.

Quintum dogma. Neminem Deus reprobat ad pœnam æternam, nisi ratione prævisorum demeritorum, & hoc contra eosdem hæreticos, dicit enim Petrus: *Deum nolle aliquos* *peri-*

An Deus positivè reprobet aliquos ante prævisionem peccatorũ.

perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Ezechiel. *Nolo mortem morientis*. Osee, *Perditio tua ex te Israel*.

SECTIO II.

DE TRINITATE.

Quid est Trinitas?

EST *unus Deus in tribus personis realiter distinctis, Patre scilicet, & Filio, & Spiritu sancto*.

Quod ut intelligas, sequentia notanda sunt.

An Trinitas sit supra captũ rationis

Nota 1. Personarum Trinitatem in unitate divinæ essentiæ, nulla ratione demonstrari posse, & hoc est de fide.

Quænam sint nomina synonima personæ. Quænam naturæ.

2. Usu recepto in Ecclesia hæc nomina *persona*, *hypostasis*, *subsistentia*, *suppositum*, idem significare; similiter hæc nomina, *natura*, *substantia*, & *essentia*, esse synonima, & ejusdem significationis.

Quot sint personę in Deo.

3. Plures esse in Deo personas realiter a se invicem distinctas, easque esse tres, nec plures, nec pauciores; & hoc de fide, contra Sabellianos, Patri-passianos, & alios hæreticos dicentes; in Deo, ut unam naturam, sic unam esse realiter personam.

Quot naturæ.

4 Tres illas personas esse consubstantiales, id est habere unam, & eandem naturam: & proinde non

esse

esse tres Deos, sed unum Deum; est de fide contra Arianos, & Socinianos dicentes, ut tres personas in Deo, sic esse tres naturas.

5. In personis divinis duas esse processiones, seu emanationes; unam scilicet Filii a Patre, alteram Spiritus sancti a Patre & Filio; deinde nec plures, nec pauciores esse, & hoc etiam de fide est. Quot sint processiones.

6. Esse quatuor reales relationes in divinis, nec plures nec pauciores, videlicet paternitatem, & filiationem, spirationem activam, & spirationem passivam. Quot relationes.

7. Relationes oppositas distingui realiter inter se, ac proinde paternitatem & filiationem distingui realiter a se invicem: spirationem activam non distingui realiter a paternitate & filiatione, quippe quæ ipsis non sit opposita, sed tantùm a spiratione passiva, cui opponitur, alioquin esset quaternitas in divinis, quod est hæreticum. Quomodo distinguuntur inter se.

8. Relationes divinas non distingui realiter ab essentia divina; & hoc de fide est, contra Gilbertum Porretanum. Quomodo ab essētia.

9. Quinque vulgò admitti notiones in divinis, id est, proprietates & characteres, seu notas, quibus una persona dignoscatur ab alia; hæ autem notiones, sunt quatuor relationes prædictæ, & innascibilitas, quæ non est relatio. Ex his innascibilitas & paternitas solitæ primæ perso- Quot sint notiones in divinis

næ competunt, filiatio solitæ secundæ personæ, spiratio activa primæ, & secundæ, & spiratio passiva soli tertiæ.

Quid sit missio & quotuplex. 10. Missionem in divinis, esse Processionem unius personæ ab una, vel duabus personis, cum respectu ad effectum temporalem, ratione cujus, persona missa incipit esse in creatura novo modo, adeo ut si per impossibile in ea antea non fuisset, jam inciperet esse. Missio in divinis non dicit inferioritatem, aut dependentiam, sed tantùm processionem, & proinde æqualitatem. Missio alia visibilis, & est ea cujus effectus est sensibilis, ut missio & apparitio filii in humanitate assumpta, & Spiritus sancti in specie columbæ, & linguarum ignitarum: alia verò invisibilis cujus effectus est invisibilis, ut justificatio.

Nota quod Pater non mittetur, cùm non procedat ab ulla persona.

Quid sit circuminsessio. 11. Circuminsessionem in divinis, esse perfectissimam inhabitationem unius personæ in alia, propter identitatem in eadem numero natura, sic Patrem esse in Filio, & Spiritu sancto, Filium in Patre, & Spiritu sancto, Spiritum sanctum in Patre, & Filio.

Quo-

Quomodo loquendum de hoc Mysterio?

Ex Divo Thoma colliguntur quædam regulæ, quarum præcipuæ sunt istæ.

Prima regula. Nomina quibus essentia divina, vel aliquod ejus attributum absolutum significatur, de tribus personis in numero singulari prædicari debent, non in plurali: unde in symbolo S. Athanasii dicitur: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus, Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, non tamen tres Domini, sed unus est Dominus.* Sic etiam propriè loquendo, in Trinitate non debent dici *tres æterni, tres increati, & tres omnipotentes, sed unus æternus, unus increatus, & unus omnipotens*, ut dicitur in eodem simbolo, nisi adjectivè sumantur hæ voces, non substantivè.

Secunda regula. Nomina concreta substantiva & essentialia, ut plurimum pro essentia divina, prout est in tribus personis, aliquando etiam pro unaquaque earum personarum sumuntur, sicque *Deus* sumitur aliquando pro tribus personis v. g. *creavit Deus cœlum & terram*, aliquando pro solo Patre sumitur, v. g. *misit Deus Filium suum*; idem dicendum.

dum de hac voce: *Dominus* v. g. dixit *Dominus Domino meo ; Dominus*, id eſt, *Pater* dixit *Domino*, id eſt, *Filio*.

Tertia regula. Nomina eſſentialia in abſtracto nunquam ſumuntur pro perſona, ſic non poteſt dici, quod eſſentia vel divinitas generet, vel generetur.

Nota ex his quod Filius non eſt aliud a Patre, ſed alius; deinde quod eſt unum cum Patre; non unus. Idem dicendum de Spiritu S. unde dicitur in Hymno Tertiæ: *Nunc Sancte nobis Spiritus*, unum Patri cum Filio.

SECTIO III.

DE INCARNATIONE.

Quid eſt Incarnatio?

EST *unio hypoſtatica, ſeu, perſonalis Verbi divini cum humana natura*.

Dicitur 1. *unio*, ſeu modus quidam ineffabilis, quo humanitas formaliter actu manet unita Verbo.

An incarnatio ſit propria tribus perſonis. An ſoli Filio.

Nota 1. Quod unio ſumitur etiam pro actione, qua Deus, ſeu tres perſonæ divinæ univerunt perſonam Verbi cum humanitate, ſicque dicitur a Theologis unitio ſeu aſſumptio activa, quæ communis eſt tribus perſonis; *opera enim Trinitatis ad extra*

tra

tra sunt indivisa, juxta vulgatum axioma.

Nota 2. Assumptionem terminativè sumptam, esse propriam soli Verbo, quod solum est unitum humanæ naturæ; solus enim Filius incarnatus est, non Pater, non Spiritus sanctus. Quo sensu soli Filio sit propria

Dicitur 2. *hypostatica, seu personalis*, quia illa unio non est accidentalis, ut volebat Nestorius, sed substantialis, nempe duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ, in persona Verbi seu secunda persona Trinitatis. Qualis sit illa unio.

Dicitur 3. *Verbi divini cum humana natura*, non semiplena id est, non cum sola carne, sed integra, id est, constante ex corpore & anima, & omnibus naturæ humanæ proprietatibus, facultatibus, atque etiam communibus defectibus; ignorantiam igitur, peccatum, concupiscentiam & cæteros hujusmodi excipe defectus qui personam divinam non decent, non verò passibilitatem corporis, & animæ. Quos defectus assumpserit Christus, quos non assumpsit.

Nota quod illa unio cum integra natura humana dicatur incarnatio, denominatione sumpta a carne; vel quia caro in Scriptura significat totum hominem, vel ut ostendatur magna divinæ majestatis humiliatio simul, & summa Dei charitas erga nos, qui non dedignatus est, suam majestatem ita deprimere, ut nobiscum commune haberet, quod Cur incarnatio sic appelletur.

cum

cum abjectissimis animalibus commune habemus.

Quid est Christus?

Est *Filius Dei incarnatus*, seu *Verbum homo factum*: vel uno verbo *homo-Deus*.

Quot in Christo sint naturæ.

Nota 1. Quod in Christo sint duæ naturæ, natura divina scilicet, & humana.

Quot personæ.

Nota 2. Quod in Christo sit unica persona, nempe persona secunda Trinitatis, seu persona Verbi, non est verò in illa persona humana.

Quomodo loquendum est de mysterio Incarnationis?

An communicatio idiomatũ sit admittenda in Christo.

Observa 1. Ex unione duarum naturarum in Christo resultare communicationem idiomatum, seu proprietatum utriusque naturæ, quæ communicatio verè & propriè in Christo est admittenda, & hoc est de fide.

Quid est communicatio idiomatum.

Illa autem communicatio idiomatum, est *prædicatio naturæ divinæ, & humanæ, & proprietatum utriusque, tàm de se mutuò, quàm de earum supposito, nempe Christo Domino.*

Dicitur 1. *prædicatio*, in concreto scilicet, non in abstracto; unde non dicitur, *divinitas est humanitas*, sed *Deus est homo, homo est Deus.*

Di-

Dicitur 2. *natura divina & humana*, 1. de se mutuò, ut, *Deus est homo, homo est Deus*. 2. de Cristo, ut, *Chrisiut est Deus, Christus est homo*.

Dicitur 3. *& proprietatum utriusque*. 1. de se mutuò, *ut homo est aternus; Deus est mortalis*; 2. de Cristo, *Christus st aternus & immortalis; Christus est mortalis & temporalis*.

Nota 1. Has prædicationes sic esse intelligendas, Christus seu Filius Dei est mortalis quatenus homo est, & secundùm humanitatem, non verò quatenus Deus & secundùm divinitatem. Sicut filius Dei, seu Christus est æternus secundùm divinitatem, non secundùm humanitatem, & sic de similibus prædicationibus.

Quomodo Christus possit dici simul æternus & non æternus &c.

Nota 2. Licèt sit communicatio idiomatum in Christo, attamen ipsam non tollere distinctionem inter proprietates utriusque naturæ; & hoc de fide contra Ubiquistas, qui contendunt ita communicatam divinam naturam humanitati, ut Christus, etiam ut homo, verè dicatur Deus omnipotens, æternus, infinitus, & ubique præsens: contra quos dicendum, Christum, ut hominem, non esse Deum, non esse æternum, nec ubique præsentem, sed tantùm esse in cœlo, & in Sacramento Altaris.

An communicatio idiomatū confundat naturas. An Christus ut homo sit ubique. An omnipotens. Quomodo de persona Christi posint dici illa quæ pertinent ad naturā sive divinam sive humanam

Ex his, modi illi loquendi de hoc mysteric colligendi sunt. 1. de omnibus

nibus nominibus ſignificantibus perſonam Chriſti, ſeu Verbi, poſsunt in concreto prædicari nomina omnia, quibus natura divina, vel humana, aut illarum naturarum proprietates ſignificantur. Sic *Chriſtus*, vel *Filius Dei*, *eſt æqualis Patri*, *eſt minor Patre*, *eſt infinitus*, *eſt finitus*; ſic etiam *unus de Trinitate paſſus eſt*.

2. De iiſdem nominibus non poſſunt prædicari in abſtracto nomina pertinentia ad naturam humanam, ſic non poteſt dici. *Verbum eſt humanitas*, *humanitas eſt Verbum*.

3. Nomina unius naturæ propria, non poſsunt prædicari in abſtracto de nominibus alterius naturæ, dicendo; *divinitas eſt humanitas*, *divinitas eſt mortua*, *eſt paſſibilis*; *humanitas eſt impaſſibilis*, *eſt omnipotens*.

4. Nulla humanæ naturæ proprietas, etiam in concreto, poteſt dici de perſona Chriſti, cum reduplicatione divinitatis, neque proprietas ulla naturæ divinæ, cum reduplicatione humanitatis, v. g. non poteſt dici, *Chriſtus*, *quatenus Deus*, *paſſus*, *& mortuus eſt*. Sicut nec, *Chriſtus*, *quatenus homo*, *eſt omnipotens*, *eſt ubique*, *&c.*

5. Nullum prædicatum quod excludit perſonam divinam, aut includit humanam, debet attribui Chriſto, v. g. non eſt dicendum, *Chriſtus eſt alius a Deo*, *eſt purus homo*.

Quinam ſint cavendi modi loquendi de Chriſto

6. Cavendi ſunt quidam modi loquendi non quidem eo quod ſint abſolutè

solutè falsi, sed quod iis usi sint Hæretici quidam ad fovendos suos errores, vel quod piarum aurium sunt offensivi, v. g. non est dicendum, *Christus incœpit esse, Christus est creatura, est inferior Angelis, est homo divinus, Deifer, Dominicus*, & denique *homo factus est Deus*.

Nota, quod multa alia dicenda sunt de Deo, de Trinitate & incarnatione, quæ dicentur in Symboli explicatione.

SECTIO IV.

DE GRATIA.

Quid est gratia?

EST *donum supernaturale, concessum homini ex meritis Christi, intrinsecè animam afficiens, & conducens ad finem supernaturalem.* Definitio gratiæ Salvatoris.

Dicitur 1. *Donum*, & sic convenit cum donis naturalibus, v. g. creatione, conservatione, bona indole, &c. quæ lato modo dicuntur gratiæ.

Dicitur 2. *supernaturale*, quia est supra naturæ vires, & ejus entitas ex natura sua refertur ad finem supernaturalem; & in hoc convenit cum lumine gloriæ, & aliis donis supernaturalibus.

Dicitur 3. *concessum homini*; nam hæc definitio convenit tantùm gratiæ homini concessæ.

Quid sit gratia medicinalis. Dicitur 4. *ex meritis Christi*, & illud intelligitur de gratia medicinali, id est, de gratia quam meruit Christus ad sanandum hominem; post Adæ peccatum, & quæ ideo dicitur gratia Christi; gratia enim sanitatis, quæ data est Angelis, & homini in statu innocentiæ, secundùm communem opinionem non erat ex meritis Christi dependens.

Quid gratia sanitatis. Dicitur 5. *intrinsecè afficiens animam*, ut distinguatur a gratiis externis, v. g. prædicatione Evangelii, miraculis, &c.

Nota, quod illa gratia afficit animam, sive permanenter, sive transeunter, ut dicetur.

Quisnam finis gratiæ. Dicitur 6. *conducens ad finem supernaturalem*; nam finis gratiæ proximus est salus æterna hominis, remotus verò & ultimus, gloria Dei & Christi.

Nota, quod gratia sic appellatur, quod gratis detur immerentibus, immò & indignis.

Quotuplex gratia?

Duplex: gratia gratis data, & gratia gratum faciens.

Quid sit gratia gratis data. Gratia gratis data est, *gratia quæ homini confertur, principaliter ad salutem proximi.*

Nota quod retinet nomen generis; omnis enim gratia est gratis data, ideo quod est species gratiæ inferior.

No-

Novem ab Apostolo enumerantur, 1. *ad Corinthios*, gratiæ gratis datæ: *Sapientia, scientia, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum.* Quot sint gratiæ gratis datæ.

Gratia gratum faciens est, *gratia homini primò, & per se concessa, propter ejus salutem.*

Nota quod dicitur, *gratum faciens*, quia hominem Deo gratum reddit, sive formaliter, & est gratia habitualis, sive efficienter, ac dispositivè, & est gratia actualis. Quid sit gratia gratum faciens

Quotuplex gratia gratum faciens?

Duplex: gratia actualis, & gratia habitualis. Quid sit gratia actualis.

Gratia actualis est, *gratia quæ per modum actus influit, efficienter ad nos reddendos gratos Deo, ipso in nobis operante, vel nobiscum cooperante.*

Unde est duplex: nempe gratia operans, & gratia cooperans. Quotuplex

Gratia operans est, *sancta cogitatio intellectus, & pia voluntatis motio ac affectio, quas Deus in nobis, sine nobis liberè agentibus, producit intuitu meritorum Christi; & quibus nos excitat ad bonum supernaturale liberè prosequendum, & malum ex motivo supernaturali fugiendum.* Quid sit gratia operans.

Brevius, est *illuminatio & inspiratio Spiritus sancti.*

Quid sit gratia cooperans. Gratia cooperans est, *gratia actualis qua Deus, tanquam agens supernaturale, concurrit nobiscum ad actus supernaturales.*

Quibus aliis nominibus operans & cooperans vocentur. Nota quod gratia *operans*, dicitur etiam *antecedens*, *praeveniens*, & *excitans*; gratia verò *cooperans* dicitur, *comitans*, & *adjuvans*.

Quotuplex gratia prę-veniens. Gratia operans, seu præveniens duplex; sufficiens, & efficax.

Quid sit gratia sufficiens. Sufficiens est, *gratia qua Deus homini sufficientes vires largitur ad effectum supernaturalem liberum, quamvis ipsum non consequatur, nec finem, ad quem datur.*

Gratia efficax est, *gratia cujus beneficio homo indeclinabiliter, infallibiliter, & invictissimè vult & operatur bonum.*

De gratia habituali posteà dicetur.

Quid fides docet de gratia actuali?

An sola voluntas, & gratiæ externæ sufficiant ad salutē. Primò, quod sola voluntas hominis, etiam cum adjumentis externis Legis, & Evangelii, nullo modo potest salutem consequi, aut opera bona illius, salutis meritoria facere: & hoc contra Pelagianos.

An necessaria sit gratia interna ad bona opera. 2. Quod ad exercenda bona illa opera salutis æternæ meritoria, necessaria est Dei gratia, eaque interna, nempe interior illustratio intellectus,

lectus, cum pia voluntatis motione; contra eosdem.

3. Quod illa divina gratia necessaria est, non solùm ad illa omnia opera bona, sed etiam ad initium boni operis & fidei, atque ad primos voluntatis conatus, quibus aliquid a Deo mereri potest homo; idque contra Semi-Pelagianos. An etiam ad initium boni operis.

4. Quod illa gratia præveniens merè gratuitò homini tribuitur, id est, sine ullis meritis ex parte ipsius, sed ex meritis Christi: unde vocatur gratia Christi; & hoc contra illos omnes hæreticos. Quæ omnia dogmata fidei a Divo Augustino contra hostes gratiæ propugnata, Conciliorum, & summorum Pontificum definitione, totiusque Ecclesiæ confessione firmata sunt. An gratia præveniēs sit merè gratuita & ex meritis Christi.

Ex his quatuor dogmatibus, sequentia alia dogmata collige.

1. Veritates supernaturales, sive speculativæ, sive practicæ non possunt naturaliter ab homine cognosci, sed tantùm per specialem gratiam, & revelationem; ac proinde fides est donum Dei & hoc contra supradictos hæreticos. An possimus sine gratia veritatem cognoscere.

Nota veritates naturales speculativas & practicas, saltem aliquas, posse naturaliter cognosci sine gratia.

2. Nemo sine speciali divinæ gratiæ dono, & auxilio potest velle, aut perficere bonum aliquod opus, quod ad salutem æternam consequen- An sine ipsa possimus bonū velle, & perficere.

dam conferat; & hoc contra Pelagianos.

Nota quod homo sine gratia actuali potest aliquod opus bonum moraliter exercere, secundùm communem Theologorum sententiam, licèt aliqui secus sentiant.

An omnia peccatorū opera sint peccata.

3. Homo sine gratia sanctificante, seu in statu peccati mortalis, potest actus aliquos bonos moraliter exercere; sicque omnia peccatorum opera non sunt peccata: & hoc contra Joannem Hus, Michaelem Baium, & contra Calvinum.

An omnia infideliū opera sint peccata.

Nota quod, ut Theologi cùm Divo Thoma, docent, etiam sine fide possunt exerceri boni actus moraliter, & proinde quod omnia infidelium opera non sunt peccata.

An gratia sit necessaria ad vincendas tentationes.

4. Gratia necessaria est ad vincendas tentationes, ut par est.

Nota quod leves tentationes, sine gratia possunt vinci, non verò graves, & frequentes; at sine gratia nullæ omninò vinci possunt, ut par est, id est, ex motivo supernaturali.

An necessaria sit ad servanda mandata Dei.

5. Gratia necessaria est ad diligendum Deum super omnia, & ad servanda mandata Dei, ut par est.

Hæc omnia dogmata fidei definita olim in multis conciliis confirmat Conc. Trid. maximè isto *canone* 3. *nempe sessionis*. 6.

„ Si quis dixerit, sine prævenien-
„ te Spiritus sancti inspiratione, at-
„ que ejus adjutorio, hominem cre-
„ dere,

„ dere, ſperare, diligere, aut pœ-
„ nitere poſſe, ſicut oportet, ut ei
„ juſtificationis gratia conferatur,
anathema ſit."

6. Homo etiam juſtificatus, non poteſt, vitare omnia peccata venialia per totam vitam, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quod revera conceſſum fuiſſe Beatæ Virgini tenet Eccleſia. Ita Conc. Trid. *ibid. can.* 23.

An poſſint vitari omnia peccata venialia.

7. Homo in ſtatu gratiæ uſque in finem vitæ ſuæ perſeverare non poteſt, abſque ſpeciali divinæ gratiæ auxilio, quod donum perſeverantiæ dicitur, *ibid. can.* 22.

De gratia ſufficiente hæc ſunt fidei dogmata.

1. In hoc ſtatu naturæ lapſæ datur gratia interior, cui poteſt reſiſti, & ſæpè reſiſtitur; meritò ergo a ſummis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. accedente Eccleſiæ conſenſione damnata eſt hæc propoſitio, *interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

An gratiæ interiori reſiſtatur aliquando.

2. Juſtorum nemini, urgente divinorum præceptorum obſervantia, deeſt gratia qua poſſibilia fiant; & hoc eſt definitum a Sac. Conc. Trid. contra Calvinum, alioſque, hoc canone 18. *ſeſſ.* 6. „ Si quis dixerit,
„ præcepta homini juſtificato, &
„ ſub gratia conſtituto, eſſe ad ob-
„ ſervandum impoſſibilia, anathema
„ ſit; " unde meritò tanquam hæretica damnata eſt hæc propoſitio ab-

An aliquando præcepta Dei juſtis etiam ſint impoſsibilia.

iisdem summis Pontificibus, *aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque gratia, qua possibilia fiunt.*

An omnis gratia sit efficax.

Nota 1. Quod præter gratiam efficacem, datur alia distincta ab ipsa, quæ ultimum effectum non obtinet, ad quem a Deo destinatur, & quæ sufficiens dicitur, & quidem verè, cùm tribuat veram & propriè dictam potentiam, ad opus supernaturale.

An gratia sufficiens ad perseverandum detur omnibus justis.

Nota 2. Quod gratia illa sufficiens ad perseverandum in gratia habituali datur omnibus justis; nam, ut ait Concilium *sess.* 6. *cap.* 10. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.*

An Christianis omnibus detur gratia sufficiens.

Nota 3. Christianis omnibus, urgente aliquo præcepto gratiam dari, vel offerri; nam ut ait ibidem Conc. Trid. post Div. Augustinum, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis: & adjuvat ut possis.*

An peccatoribus induratis.

Nota 4. Gratiam sufficientem peccatoribus nondum penitùs induratis, non denegari, immò & probabile esse, penitus etiam induratis non denegari omninò.

An infidelibus.

Nota 5. Infidelibus non denegari gratiam, qua peccata vitare possint, & certis gradibus ad fidem, ac proinde ad salutem pervenire; quæ gratia,

tia, licèt non proximè, remotè tamen sufficiens est. Porrò infideles aliquando, divina benignitate exiguum illorum naturæ lumen accendente, excitantur ad studium, cupiditatemque veritatis, quam, si, ut doceantur, summis & continuis precibus petant, a Dei clementia eorum studium non repudiatur: nemini enim id ex animo petenti clausæ sunt fores divinæ benignitatis. Ita docet Catechismus Romanus 4. part. de part. grad. orat.

Nota 6. Gratiam paratam esse in Baptismo infantibus etiam sine ipso decedentibus. An infantibus ante Baptismũ morientibus.

De gratia efficaci hæc sunt fidei dogmata.

1. Gratiam efficacem non officere libertati, liberumque arbitrium a Deo motum, & excitatum cooperari gratiæ efficaci, & posse dissentire si velit; & hoc contra Calvinum definitum est in Conc. Trident. *ibid. can.* 4. An gratia efficax tollat libertatem.

2. Libertatem in hoc statu naturæ lapsæ, non esse immunem a sola coactione, sed & a necessitate, unde meritò tanquam hæretica damnata est a sancta Sede hæc propositio: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* An libertas consistat in immunitate a sola coactione.

Nota non constare inter omnes Theologos, in quo consistat efficacia gratiæ, & quomodo conciliandа illa

la sit cum libertate; nihil enim de his definivit Ecclesia.

Quid est gratia habitualis?

Est *gratia, qua per modum habitus, seu qualitatis permanentis, homo redditur justus, sanctus, & Deo gratus, hæres regni cœlestis, capaxque operandi meritoriè in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur 1. *gratia*; gratiæ enim habituali conveniunt definitiones gratiæ in genere, & gratiæ gratum facientis: unde est donum Dei supernaturale &c.

An gratia habitualis sit inhærens animæ.

Dicitur 2. *per modum habitus*, quia fide certum est, & in Conc. Trid. *sess. 6. can. 11.* definitum contra novos hæreticos, gratiam esse quid inhærens animæ, & permanens, etiam dum non operamur: istudque patet in parvulis baptizatis, qui sunt incapaces operandi cum gratia, & tamen sunt intrinsecè justi.

An sit vera qualitas.

Nota quod secundùm probabiliorem Theologorum sententiam, & dictis sanctorum Patrum magis conformem, ut ait Concilium Viennense, gratia habitualis est vera qualitas, & habitus.

An possit amitti.

Nota 2. Quod licèt dicatur permanens, potest tamen amitti, & sæpiùs amittitur; & hoc est de fide contra Calvinum volentem, illam gratiam sicut & fidem esse inamissibilem,

bilem, cujus error damnatus est a Conc. Trid. ibid. *can.* 22.

Nota 3. Quod gratia habitualis potest augeri per actus virtutis, & maximè charitatis, ab homine justo elicitis; minui autem non potest per peccata: sed per peccatum mortale totaliter deperditur; per veniale verò non in se minuitur, sed minuitur tantùm fervor charitatis in actibus exercitis. An possit augeri & minui.

Nota 4. Gratiam habitualem, charitatem, cæterosque habitus supernaturales non produci physicè, & effectivè per actus, immò nec augeri, sed tantùm dispositivè, vel meritoriè; Deus enim solus dat fidei, spei, & charitatis augmentum. An producatur vel augeatur physicè per actus.

Dicitur 3. *qua homo redditur justus, sanctus*, hocque intellige formaliter & intrinsecè, justitia nempe, & sanctitate intrinseca, & hoc est de fide, contra Calvinum & alios hæreticos dicentes, nos reddi justos per justitiam Dei essentialem, vel per solam peccatorum condonationem & remissionem; vel per justitiam Christi, nobis extrinsecam, nobisque imputatam; & per favorem externum; qui ideo condemnati sunt a Concil. Trid. *can.* 11. *sess.* 6. ut dictum est. An justitia & sanctitas sint quid intrinsecum nobis vel extrinsecum.

Nota 1. Gratiam habitualem dici etiam justificantem, ex eo quod nos reddat justos & sanctos. An gratia habitualis dicatur sanctificans, & justificans.

Nota 2. Gratiam illam habitualem, vel non distingui realiter a charitate, ut est communis opinio Theo- An gratia habitualis distinguatur a charitate.

logorum, vel si distinguatur, ab ea nunquam separari, sed cum ipsa semper conjunctam esse.

Quænam infundantur cum gratia habituali.

Nota 3. (docente Conc. Trident. *ibid. cap. 7.*) Cum gratia habituali, & charitate semper infundi omnes virtutes supernaturales, & infusas, & dona Spiritus Sancti, immò & virtutes Theologicas, si non adsint in peccatore qui justificatur; ut fit v. g. in Baptismo.

Quænam deperdantur, deperdita gratia habituali.

Nota 4. Simul cum gratia habituali & charitate, deperdi omnia dona Spiritus sancti, & omnes virtutes supernaturales, morales scilicet, non Theologicas, quæ non nisi per peccata; quæ ipsis sunt directè opposita, non verò per quælibet mortalia deperduntur, sed remanent etiam in peccatoribus, etsi mortuæ & imperfectæ, ut dicetur infrà, cùm agetur de fide, & spe.

Dicitur 4. *Deo gratus*, quia propter decorem & splendorem, quem confert animæ gratia, homo redditur Deo gratus & dilectus; ideoque formaliter est gratum faciens gratia habitualis.

An gratia nos constituat filios Dei & hæredes regni cœlestis.

Dicitur 5. *hæres regni cœlestis*, quia per gratiam homo fit aliquomodo consors divinæ naturæ, fit filius Dei adoptivus, ac per consequens fit hæres regni cœlestis, & cohæres Christi, habetque jus ad vitam æternam, sed

Nota, quod illud jus eatenus effectum suum obtinebit, si homo usque ad

ad extremum vitæ in gratia perseveret; consecutionem enim vitæ æternæ nemo mereri potest, nisi in gratia decesserit, ut ait Conc. Trid. *ibid. cap.* 16.

An jus illud ad regnum cœlorum infallibiliter sortiatur suum effectum.

Dicitur 6. *capaxque operandi meritoriè*; nam nullum sine ipsa opus meritorium, saltem de condigno, potest fieri.

An gratia habitualis sit necessaria ad merendũ.

Dixi *saltem de condigno*; nam *de congruo* peccatores per actus supernaturales ex gratiis actualiter elicitos, v. g. per orationes & alia bona opera, possunt mereri primam gratiam habitualem; prima ergo gratia habitualis non cadit sub meritum de condigno, sed tantùm secunda, id est, augmentum primæ.

An peccatores aliquid mereri possint.

Nota 1. Esse de fide, quod primam gratiam actualem nemo mereri potest, etiam de congruo, cùm sint principium omnis meriti.

An possit quis mereri primã gratiam actualem.

Nota 2. Esse dogma fidei definitum in Conc. Trid. *ibid.* quod homo gratia habituali præditus potest verè & propriè, & quidem de condigno mereri apud Deum; & hoc contra Calvinum dicentem, illud esse injuriosum gratiæ & misericordiæ Dei, ac meritis Christi.

An justi verè mereantur apud Deũ.

Dicitur 7. *in ordine ad vitam æternam*; id est, justi gratia habituali præditi, possunt mereri de condigno vitam æternam, & gloriam, possunt mereri augmentum gratiæ habitualis, & augmentum gloriæ; possunt denique mereri bona etiam tempo-

Quid justi possint mereri.

ralia.

ralia, quæ conducunt ad vitam æternam.

An mereri possint reparationē post lapsū. Nota 1. Justos non posse mereri sibi reparationem post lapsum, id est, quando contigerit ipsos in peccatum mortale lapsos esse; nam omnia merita peccato mortali extinguuntur.

An perseverantiā finalem. Nota 2. Justos non posse mereri de condigno perseverantiam finalem; unde, ut dicit Scriptura, *qui existimat se stare, videat, ne cadat*. Perseverantia ergo est donum speciale, quod nemo potest mereri de condigno, licèt de congruo suppliciter illud emereri possint justi.

Quid possint mereri proaliis. Nota 3. Nullum justum posse mereri de condigno quamcunque gratiam pro alio, sed tantùm pro se: hoc enim fuit proprium soli Christo; cujus actiones erant infinitè meritoriæ, propter infinitatem illius personæ: bene tamen posse mereri alteri de congruo, etiam primam gratiam; aliaque dona, quibus disponatur ad gratiam habitualem; vel augmentum ejus habendum, modò nullus ponatur obex.

Quot sint præcipui effectus gratiæ habitualis. Ex his omnibus explicatis colliges effectus gratiæ habitualis, inter quos duo præcipui sunt, nempe justificatio, & meritum.

Quid?

Quid est Justificatio?

Justificatio generatim, est justitiæ, sive habitualis gratiæ infusio, seu receptio; & duplex est. Quid & quotuplex justificatio.

1. Est ea, quæ justitiæ est infusio simpliciter, sine remissione peccatorum, quando nulla sunt in iis, in quibus infunditur gratia; qualis fuit justificatio Angelorum, primi hominis, & Beatæ Virginis. Quid justificatio simpliciter.

2. Est peccatorum propria, & est *translatio a statu peccati ad statum gratiæ.* Quid justificatio peccatorũ.

Nota 1. Quod hæc translatio a statu peccati, sit, vel peccati in quo homo nascitur, vel peccati propria voluntate commissi.

Nota 2. Hanc justificationem duo includere; remissionem peccati, & infusionem gratiæ. Quænã includit justificatio.

Quænam sunt dispositiones ad justificationem?

Sex modò recensendæ requiruntur dispositiones ad justificationem, ex Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. contra Calvinum & Lutherum dicentes solam fidem requiri, & per illam nos justificari: ac malè interpretantes de sola fide, sententias Apostoli, quibus dicit nos justificari ex fide. An sola fides sufficiat ad justificationem.

Prima igitur dispositio, est fides:

sine

Quænam fides requiratur. *Sine fide enim impossibile est placere Deo:* non est autem fides, quam intelligunt illi hæretici, scilicet fiducia certa, & infallibilis, qua homo credit sua peccata esse dimissa, & se esse justum; nam ab eodem Concilio, *ibid. cap.* 9. *& can.* 14. definitum est, neminem sine speciali revelatione posse esse certum, se esse justificatum, certitudine fidei, & infallibili, quæ excludat omnem timorem & formidinem.

Fides igitur, quæ est prima dispositio ad justificationem, est fides Theologica, qua homo assentitur omnibus a Deo revelatis veritatibus & maximè iis, quæ pertinent ad justificationem, ut docet Concilium, cap. 6.

An timor justitiæ divinæ sit donū Spiritus Sancti. Secunda est timor justitiæ divinæ peccatorum vindicis. Definitum est enim in eodem Concilio *sess.* 14. *cap.* 4. hunc timorem esse donum Dei; & impulsum Spiritus Sancti, non quidem inhabitantis, sed tantùm moventis; contra eosdem hæreticos dicentes, hunc timorem esse peccatum, & homines magis peccatores reddere.

Quando nam majus & peccatum est. Nota quod timor ille bonus est, & utilis, licèt sit servilis, modò non sit servilis serviliter, ut ajunt, id est, modò non respiciat fugam pœnæ & gehennæ, tanquam finem ultimum; ut quando quis ita est dispositus, ut non abstineret a peccato, nec faceret bonum, si nulla esset

esset pœna timenda a Deo, ut amplius dicetur, cùm de pœnitentia agetur.

Tertia est spes veniæ consequendæ per merita Christi.

Quarta est dilectio Dei tanquam fontis omnis justitiæ.

Quinta est odium & detestatio peccatorum atque dolor de ipsis.

Sexta est propositum novæ vitæ instituendæ, observationis omnium mandatorum Dei, & suscipiendi Sacramenta Baptismi vel Pœnitentiæ.

Nota 1. Has dispositiones non requiri in parvulis, sed tantùm in adultis; parvuli enim utpote rationis expertes nullius dispositionis actualis capaces sunt. *An requirantur dispositiones in parvulis.*

Nota 2. Has dispositiones, seu bonos motus liberi arbitrii, quos Deus exigit ad justificationem, pendere absolutè ab auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis, itaut nemo possit solis viribus naturalibus ad justificationem se disponere, ut dictum est. *An dispositiones pendeant a gratia.*

Nota 3. Contritionem perfectam, seu quæ est ex dilectione Dei super omnia, & charitate perfecta sufficere ad justificationem, quia implicitè & virtualiter omnes alias dispositiones complectitur; ac etiam sufficere extra Sacramentum, sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, cum voto tamen illius suscipiendi, ut dicetur, dum de Baptismo & de Pœnitentia agetur. *An contritio perfecta sufficiat ad justificationem.*

Can.

Causæ Justificationis.

Hæ assignandæ sunt ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 7.

Causa finalis, est gloria Dei & Christi, ac glorificatio hominis.

Causa efficiens principalis absolutè est Deus; principalis meritoria est Christus; instrumentalis sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; dispositoria sunt actus ex gratia eliciti ab eo, qui justificandus est.

Causa formalis est infusio gratiæ, seu justitiæ, non qua Deus justus est in se, sed qua justos nos facit, itaut non modo reputemur, sed & verè justi nominemur, & simus.

Quid, & quotuplex meritum?

Duplex est meritum; aliud de condigno, quod propriè meritum est, aliud de congruo, quod non propriè est meritum.

Quid est meritũ de condigno. Meritum de condigno; *est opus bonum, seu est actus bonus & supernaturalis, a justo, viatore, liberè elicitus, cui merces a Deo promissa, ex justitia debetur.*

Quid meritum de congruo. Meritum de congruo est *actus bonus, & supernaturalis ab homine viatore, liberè elicitus, cui ex decentia quadam, & ex gratuita Dei liberalitate debetur merces.* Illæ definitiones, ut

ut intelligantur, dicendum est, quęnam conditiones requirantur ad meritum de condigno, & ad meritum de congruo.

Quænam conditiones requiruntur ad meritum de condigno?

Quinque requiruntur.

Prima. Ut opus meritorium sit actus bonus & honestus: bonus, inquam, tàm ex parte objecti, & omnium circumstantiarum, quàm ex parte finis, itaut in Deum, tanquam authorem gratiæ & gloriæ referatur actualiter, vel virtualiter, ac proinde sit supernaturalis, & ex gratia actuali procedens.

Secunda. Ut is, qui meretur, sit in statu gratiæ sanctificantis; unde peccatorum bona opera non sunt meritoria de condigno, licèt possint esse meritoria de congruo. Falluntur ergo hæretici dicentes, omnia peccatorum opera esse peccata, & ideo jure condemnati sunt a Concil. Trid. *sess. 6. can. 7.*

Tertia. Ut is qui meretur sit viator, id est, vitam hanc mortalem degens.

Nota 1. Quod beati in Cœlo, & animæ in Purgatorio existentes non merentur per actus bonos; ratio autem petitur ex sola voluntate Dei: nec etiam possunt demereri; peccare enim non possunt.

An beati & animæ in purgatorio detentæ mereri possint.

Nota.

An diaboli & damnati possint demereri. Nota 2. damnatos & diabolos in inferno per sua prava opera non demereri, quia sunt in termino, in quo, sic constituente Deo, nullus est amplius locus demerendi, ut & merendi.

Quando Christus potuit mereri. Nota 3. Christum Dominum licèt beatum & visione beatifica donatum, meruisse in hac vita mortali; nam erat viator, licèt simul esset comprehensor, viator secundùm partem inferiorem animæ, comprehensor secundùm superiorem.

Quarta. Ut opus meritorium sit liberum, non solùm a coactione, sed etiam a necessitate, quod & requiritur ad demeritum, ut dictum est.

Quinta. Ut intercedat pactum & promissio ex parte Dei de mercede pro ejusmodi opere bono retribuenda; nostra enim merita sunt Dei dona.

Quænam sint conditiones meriti de congruo. Conditiones ad meritum de congruo sunt tantùm tres, status vitæ præsentis in operante, libertas, & bonitas in opere; non verò requiruntur status gratiæ habitualis, & pactum ex parte Dei.

SE-

SECTIO V.

DE SYMBOLO.

Quid est Symbolum?

EST *summa, seu collectio articulorum fidei, cujus profitenda est brevis formula.* Quid significet Symbolū.

Dicitur 1. *summa, seu collectio*: *Symbolum*, nomen istud Græcum, Latinè redditum, est plurium rerum in commune collatio.

Dicitur 2. *articulorum fidei*, id est, præcipuarum veritatum credendarum distinctè, & separatim: ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita quidquid distinctè, & separatim ab alio proponitur credendum, rectè articulus fidei dicitur. Quid sit articulus fidei.

Nota igitur omnes veritates revelatas in Symbolo Apostolorum non contineri, sed præcipuas duntaxat, aliasque omnes ad istas quodammodo revocari. An omnes veritates fidei continentur in Symbolo. Cur traditum sit Symbolum.

Dicitur 3. *cujus profitenda est formula*; ut scilicet fideles ab infidelibus dignoscantur; unde etiam *Symbolum*, signum, quo veri milites ab aliis discernuntur, significat.

Dicitur 4. *est brevis formula*, sic enim sapienter consultum est, ut fidei capita & fundamenta facilius proponantur, & memoriæ mandentur, maximè a pueris, & idiotis. Cur breviter articulos fidei exhibeat.

Quo-

Quotuplex est Symbolum?

Quid sit Symbolū Apostolorum.

Triplex in Ecclesia receptum est. Primum est Symbolum *Apostolorum*, quod est *summa seu collectio articulorum fidei ab Apostolis tradita*.

Cur dicatur Apostolorum.

Dicitur ergo Symbolum Apostolorum, non tantùm quia doctrinam Apostolorum continet, sed etiam, & quidem maximè, quia ab Apostolis traditum est, non literis, sed viva voce, antequam in totum orbem dispergendi separarentur a se invicem: sive singuli unum articulum in commune contulerint, sive cuncti simul articulos omnes ediderint.

Quid sit Symbolū Nicanum seu Costantinopolitanum.

Secundum Symbolum est *Nicanum*, quod & *Constantinopolitanum* dicitur, quod in primo Concilio Niceno primùm conditum est, & deinde in primo Concilio Constantinopolitano auctum fuit; cui & denique Ecclesia addidit particulam *Filioque*, illudque Symbolum in Missa cantatur.

Cur Ecclesia aliud Symbolum tradiderit.

Nota illud Symbolum eandem fidem continere, quæ habetur in Symbolo Apostolorum; illam tamen perfectiùs explicare contra novas hæreses subinde exortas, Arianorum præcipuè, Macedonianorum, & aliorum.

Quid sit Symbolū S. Athanasii.

Tertium, est Symbolum quod vulgò dicitur *S. Athanasii*, sive quod a S. Athanasio compositum sit, sive quod

quod finem contineat, cujus assertor fuit S. Athanasius: illudque recitatur in officio divino, & tanquam verum & legitimum Symbolum ab Ecclesia receptum est. An sit legitimum.

Quot sunt articuli in Symbolo Apostolorum?

Duodecim vulgò enumerantur: vulgoque in tres partes illi distribuuntur, quarum prima respicit primam Personam Trinitatis, opusque Creationis; secunda respicit secundam Personam, opusque Redemptionis; tertia denique tertiam personam, & quidquid ad sanctificationem, & glorificationem pertinet. In quot partes dividatur Symbolũ.

Explicatur primus Articulus.

Credo. Id est firma fide, sine ulla dubitatione, vel inquisitione assentior interius omnibus a Deo revelatis; illaque exterius profiteor, propter Dei revelantis authoritatem divinam & infallibilem; non verò propter rationes naturales, quæ fide minus certæ sunt. Quid sit credere. Cur credendum. An propter authoritatẽ Dei.

In Deum. Id est, non solùm credo Deum esse, sed etiam amore tendo in ipsum, tanquam in summum bonum & ultimum finem. An propter rationes naturales.

Nota

Quid sit credere Deum & credere Deo. Quid sit credere in Deum.

Nota 1. Quod credere Deum, est credere Deum esse; credere Deo est assentire ipsi, seu credere vera esse quæ revelavit, eo quod ipse ea revelavit; credere in Deum, est credendo tendere in Deum amore & affectu tanquam in summum bonum & ultimum finem.

Cur vox *unum* addita sit in Symbolo Nicæno.

Nota 2. Dici, *Deum*, in singulari; Deus enim unus est; unde in Symbolo Nicæno additum est, *in unum Deum*, contra hæreticos, vel idololatras, qui plures Deos, vel plures naturas in Deo realiter distinctas admittebant.

Quare Deus unus sit.

Deus ergo natura unus est, nec plures esse possunt dii; nam Deus est summum ens & perfectissimum, & nequeunt esse duo entia summa & perfectissima.

Quomodo aliqui Prophetæ dicti sint dii.

Unde si in Scriptura aliqui Prophetæ, & Reges, dii dicti sint, illud intelligendum est impropriè & metaphoricè; nam propter virtutem, vel functionem a Deo illis concessam, & ab eo participatam dicti sunt dii.

An sint tres naturæ divinæ. Quomodo Pater sit prima persona. Quid sit *origine prius* esse.

Patrem. Id est, credo in Deo esse tres persones realiter distinctas, non natura; sed subsistentia, seu persona, & illam primam esse Patrem; primam autem non tempore, non dignitate; „ in Trinitate enim nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, ut dicitur in Symbolo S.

Atha-

„ Athanasii ; „ verùm primam originem, id est, primam eo quod sit ingenita, & improducta, & quod aliæ duæ ab ipsa originem ducant.

Quot modis nomen *Patris* sumatur.

Nota, quod nomen, *Patris*, hoc sensu est personale, & proprium primæ Personæ; sed alio sensu est essentiale & commune tribus personis, si nempe nomine Patris intelligatur Deus esse Creator, provisor, & Rector omnium: vel etiam specialius, si intelligatur, Christianos per gratiam & charitatem in filios suos & hæredes adoptasse.

Quid sit *omnipotentem* esse.

Cur hæc vox expressa in Symbolo.

Omnipotentem. Illa voce intelligendum & profitendum est, Deum omnia posse, quæ non repugnant in se, vel perfectioni divinæ, nihilque posse resistere Dei absolutæ voluntati; cùm ad fidem, spemque nostram confirmandas, nihil magis valeat, quàm si credamus, nihil a Deo fieri posse; nihilque utilius sit ad humilitatem, gratitudinemque erga Deum in nobis excitandas.

Cur Patri attribuatur omnipotentia.

Nota 1. Quod licèt omnipotentia sicut & natura sit communis tribus personis, attamen per appropriationem attribuitur Patri: ideo quod pater est principium sine principio, id est, a nulla alia persona accipit omnipotentiam, sicut & naturam; immò ipsam ab eo accipiunt aliæ personæ.

An sint tres omnipotentes.

Nota 2. Quod licèt omnipotentia sit communis tribus personis, non sunt tamen tres omnipotentes, sed

C unus

unus omnipotens, sicut nec tres dii, sed unus Deus, ut dicitur in Symbolo Athanasiano.

Cur Pater dicatur Creator.

Creatorem. Creatio cœli, & terræ tribuitur Patri, quia maximum est opus omnipotentiæ, quæ ipsi attribuitur, ut dictum est.

Quomodo & cur Deus creaverit mundum.

Porrò credendum est, Deum produxisse mundum ex nihilo, non ex aliqua materia sibi coæterna, & quam ipse non fecerit; idque sua sponte, & liberè; nullaque alia de causa, quàm ut suam bonitatem creaturis communicaret; neque ullum exemplar extra se positum secutum fuisse, sed suæ sapientiæ idæas intra se intuitum. Istis veritatibus refragati sunt, tum Philosophi, tum Hæretici veteres.

Quid cœli & terræ nomine designetur. Quare in Symbolo Niceno additum sit, *visibilium omnium & invisibilium*.

Cœli & terræ, id est, non solùm cœli, & terræ, sed etiam rerum universarum, quæ intra ipsa, & in ipsis continentur. Hæc verò rerum universitas exprimitur in Symbolo Nicæno his verbis, *visibilium omnium & invisibilium*, contra Manichæos, qui Deum optimum carnis corporumque conditorem esse negabant, & duas animas in homine esse asserebant, unam bonam a bono principio, alteram malam, sicut & omne malum ab adverso, & malo principio.

Quando Angeli creati sint.

Nota, Angelos inter ea, quæ in cœlo creata sunt, primas tenere; hominem verò inter ea, quæ in terra. Porrò Angeli creati sunt, quando

do sunt producti cœli, licèt id expressè non dicat Scriptura.

Quid de Angelis docet fides?

Docet 1. Angelos esse substantias spiritales creatas a Deo, initio creationis mundi; eos autem esse puros spiritus, incorporeos, invisibiles, fidei proximum est dogma. Unde pinguntur in humana forma, quam ad tempus assumpserunt, ut apparerent hominibus, quibus a Deo missi sunt; non tamen in propria forma pinguntur, cùm nullam habeant. *An Angeli sint Spiritus. An incorporei. Cur pingantur in humana forma.*

2. Magno illos esse, quamvis nobis incognito numero.

3. Scientia eminenti præditos esse, cognoscunt enim perfectè res naturales; non tamen cogitationes secretas cordium: hæc namque cognitio solius Dei propria est; res verò supernaturales quasdam, dum in via erant, per fidem cognoverunt, v. g. mysterium Trinitatis. *Quæ & qualis scientia Angelorum.*

4. Potentes esse, & magna vi pollere, pernicitatisque esse incredibilis; ad quod significandum præcipue, cùm alis pinguntur. *Quæ potentia illorum.*

5. In gratia conditos omnes fuisse, & voluntate ad bonum & malum libera fuisse præditos. *An cum libertate & gratia conditi.*

6. Sanctos Angelos cum malis pugnasse; bonos per humilitatem, ac subjectionem Deo, in gratia perseverasse, & in æternam beatitudi- *Quodnam fuerit præmium Angelorum perseverantium.*

Quodnam peccatum, & quænã pœna Angelorum malorum.

nem, quæ in visione Dei consistit, adeptos esse; malos verò propter superbiam, maximè de donis a Deo acceptis, dotibus omnibus supernaturalibus spoliatos, e cœlo in infernum detrusos fuisse, & in perpetuum visione Dei privatos, igni cruciandos traditos fuisse.

Cur dæmones exeant ex inferno, & an ideo minus patiantur.

Nota, quod licèt quidam ex isto carcere ad tempus exeant, permittente Deo propter exercitationem hominum, eorum tamen pœna non minuitur, quia sciunt pœnam ignis, ipsique alligationem perpetuam sibi deberi.

7. Varios esse ordines, & gradus inter ipsos.

Quot sint Hierarchiæ quot Ordines. Quot & qui Ordine in prima.

Nota, receptam esse Doctorum & Theologorum sententiam, quod tres sint Hierarchiæ, in quibus omnibus sunt novem Ordines. In prima & suprema tres Ordines sunt, primus Seraphinorum, qui dicti sunt ab amore; secundus Cherubinorum, qui a scientia sic sunt dicti; tertius Thronorum, qui ob celsitudinem, & quod in eis singulariter sedeat Deus, sic dicti sunt. In secunda & media tres sunt, primus Dominationum, quæ sic dicuntur ob potentiam in cæteros inferiores Ordines; secundus Virtutum, quæ ob vigorem sic appellantur, & quod per illas miracula sæpius fiant; tertius Potestatum, quæ a potentia in dæmones nomen sortitæ sunt. In tertia & infima, primus principatuum, sic dictorum a prælatione

Quot & qui in secunda.

Quot & qui in tertia.

tione in inferiores ordines, ad explenda divina ministeria; secundus Archangelorum, qui maxima nuntiant, & præsunt Angelis; tertius Angelorum, qui minima nuntiant, & qui custodiæ hominum præfecti sunt.

8. *Angeli* nomen, non naturæ nomen est, sed officii; est enim omnibus commune: nam omnes sunt creati in ministerium Dei. Quid significet nomen *Angeli*.

Nota, homines prædestinatos assumendos esse ad Ordines Angelorum complendos, ex quibus ceciderunt mali Angeli. An in locum lapsorum Angelorum assumendi sint homines.

9. Docet fides, negante Calvino, singulis hominibus, & maximè Christianis deputatum esse unum Angelum in custodiam & tutelam, præsertim ab impugnatione dæmonum; utrum verò pueri in utero matris habeant Angelum custodem alium ab Angelo matris, opinio est quorundam Theologorum. An singulis hominibus datus sit Angelus custos, & quare.

10. Dæmones ex Dei permissu posse homines ad malum incitare, idque reipsa sæpissimè facere, ideoque diabolum dici tentatorem; attamen in peccatum eos cogendo propellere non posse. An dæmones tentent homines, & quando.

Quid de hominis creatione docet fides?

Docet 1. Adamum ex limo terræ productum, Evamque ex una ejus costis formatam, postquam omnia creata sunt. Unde producti Adam, & Eva.

An Adam mortalis creatus sit aut imortalis, & quomodo. 2. Hominem in statu Innocentiæ quoad corpus fuisse immortalem, id est, potuisse non mori, illudque donum sibi & posterioris per peccatum perdidisse; contra errorem Pelagianorum, qui dicebant primum hominem mortalem creatum fuisse.

Cur Adamus dicatur creatus ad imaginem Dei. 3. Hominem quoad animam formatum esse ad imaginem & similitudinem Dei, quæ similitudo in eo consistit, quod homo habeat animam spiritalem, immortalem, & libertate præditam, quæ libertas consistit in indifferentia activa ad agendum, vel non; libertas enim definitur *vis electiva*; vel *facultas sui ipsius determinativa*; vel etiam secundùm quosdam, *facultas, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere vel non*.

Quid sit libertas.

An Adamus peccando amiserit liberum arbitriũ. Nota, hominem per peccatum non amisisse liberum arbitrium, ut contendunt Lutherani, & Calviniani: docet enim Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. *liberum arbitrium in hominibus minimè extinctum esse, viribus licèt attenuatum & inclinatum fuerit*.

An Adamus sit creatus in gratia. An in justitia originali. Quis sit status innocentiæ. 4. Hominem creatum esse in gratia habituali, quam comitabantur virtutes supernaturales, & dona Spiritus sancti. 2. Et in justitia originali, qua omnes animæ motus perfectè rationis imperio subdebantur, & quàm multa dona comitabantur in illo felici statu, quod dicitur *naturæ integræ*, seu *innocentiæ*.

Nota, quod multis gratiis actualibus,

bus donabatur ad exercenda opera virtutum fidei, v. g. charitatis, &c. gratiæ autem illæ, aliæ prævenientes erant, aliæ cooperantes. *An Adamus gratiis actualibus induerit.*

5. Hominem ab hoc fœlici statu cecidisse propter peccatum maximè superbiæ, & inobedientiæ, violando præceptum, quo Deus illi prohibuerat, ne comederet de fructu arboris quæ dicebatur lignum scientiæ boni & mali; ac proinde quoad animam, gratia habituali, & justitia originali, cæterisque donis privatum, ac peccati macula & reatu mortis æternæ obstrictum fuisse; quoad corpus verò, morti, doloribus, cæterisque miseriis obnoxium. *Quodnam fuit peccatum Adami. Quænam pœna.*

6. Adami peccatum, ejusque pœnam in eo non stetisse; sed ex eo, tanquam ex capite propter decretum Dei, in omnem posteritatem ex ejus semine prognatam, emanasse; excepta, ut piè creditur, beata Virgine Maria; quam in decreto de peccato originali non comprehendit Conc. Trid. sess. 5. *An peccatum Adami simul cum pena commune fuerit ipsi cum ejus posteris.*

Nota, quod iste status, vocatur *naturæ lapsæ*, status verò, qui sequitur, proposito Adæ, cæterisque ejus filiis mediatore, dicitur *naturæ reparata*. *Quis status naturæ lapsæ. Quis naturæ reparatæ.*

Nota 2. Statum *naturæ puræ*, id est in quo homo creatus sit, sine gratia & peccato, ac obnoxius ignorantiæ, concupiscentiæ, cæterisque hujus vitæ miseriis, immò & morti ipsi, de facto nunquam fuisse; idque est de fide, contra Pelagium, & Socinia- *Quis status naturæ puræ. An aliquando fuerit.*

nos negantes peccatum originale, & necessitatem gratiæ Redemptoris.

Attamen illum statum absolutè impossibilem non esse, inferendum censetur ex propositionum Michaelis Baji damnatione emanata, a sancta Sede Apostolica, inter quas propositiones possibilitatem ejus status evertentes, hæc præcipua; *integritas conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

An sit impossibilis.

Explicatur secundus articulus.

Quid significet nomen JESUS.

Et in Jesum. Nomen *Jesus* significat Salvatorem, istudque Christo impositum est ex præcepto Dei, nuntiante Angelo, qui reddidit rationem illius dicens, *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

An Christus sit mediator & quomodo.
An ut Deus.
An ut homo.

Jesus itaque idem est ac Salvator, & mediator, mediator autem noster est non præcisè ut Deus, nam, ut sic, Patri est æqualis, ipsique non potest satisfacere; sed est mediator ut homo, nam per humanam naturam officia mediatoris exercuit, satisfaciendo Patri, sacrificium mortis ipsi offerendo, ipsumque pro nobis rogando. Licèt autem illa officia essent naturæ humanæ, utpote illius actiones; attamen, quia illa natura erat unita divinæ in persona Verbi, erant illa opera infiniti valoris & meriti. Debuit ergo mediator inter Deum

& ho-

& homines, Deus & homo simul esse.

Nota, quod ad hoc nomen *Jesus*, referuntur alia nomina, quæ Christo divinitùs imposita sunt, ut, *admirabilis* &c.

Christum. Christus idem est ac unctus. Istud nomen honoris nomen est & officii, olim enim Prophetæ, Sacerdotes, & Reges ungebantur; porrò Christus, qui Prophetæ, Sacerdotis, & Regis officia suscepit, unctus est non oleo terreno, sed spiritali, nempe plenitudine omnium perfectissima Spiritus sancti, gratiæque, & omnium donorum in ejus animam effusione, sed maximè unione Personæ divinæ cum ejus humanitate.

Quid significet hoc nomē *Christus*.

Quare Christus sic appelletur.

Christus ergo fuit verus *Messias*, id est, *unctus*, variis Prophetiis promissus, figurisque adumbratus. Errant itaque cæci Judæi alium adhuc Messiam expectantes.

An Christus verus Messias olim promissus.

Porrò Jesus Christus est summus Propheta & Magister, qui nobis voluntatem sui Patris manifestavit, nosque tria præcipuè docuit. 1. Fidem cultumque unius verique Dei. 2. Illius fidei præmium, quod est regnum cœlorum. 3. Viam qua ad illud pervenitur.

An Christus sit sūmus Propheta.

Christus est summus Sacerdos, non ex ordine Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, quia semper interpellat pro nobis, & *per illum, & in illo oramus*, ut ait D. Augustinus; quia in altari crucis, officio sa-

An summus Sacerdos.

cerdotis, immò & victimæ functus, seipsum obtulit Patri; quia denique sacerdotis officio quotidie fungitur per sui vicarios sacerdotes in Ecclesia catholica, quippe qui ritu simili, cum Melchisedech verissimum, sed incruentum sacrificium corporis & sanguinis sui toto orbe terrarum non desinit per ipsos offerre.

An Rex regũ. Quale regnũ Christi.

Christus denique est Rex regum. At regnum Christi fuit spiritale & æternum, non terrenum & temporale, nec hæreditario & humano jure illi debitum, etsi genus duceret a clarissimis regibus David, Salomone &c. sed ideo Rex fuit, quod in illum ut hominem contulerit Deus tantùm honoris, potestatis & dignitatis, quantum natura humana capere potest: Regnum igitur Christi seu imperium in terris inchoatum fuit, & in cœlo tandem perficietur. Nunc etiam regit Ecclesiam, ab hostibus defendit, leges ei præscribit, sanctitatem & gratiam largitur, vires dat ad bene agendum, & ad perseverandum, dominatur denique in omnes homines, & maximè in justos. At regiam potestatem, præcipuè cùm venturus est judicare omnes homines, & post generale judicium, exercebit.

An Rex sit Ecclesiæ.

Quandonã Christus regiã potestatem perfectè exercebit.

An sint in Christo duæ naturæ, & inconfusæ.

Filium ejus unicum: fides enim docet. 1. Duas esse in Christo naturas, divinam scilicet, & humanam, citrà divisionem, confusionem, & conversionem, ut habetur in Symbolo.

bolo S. Athanasii contra hæreticos; in quo dicitur, *non duo sed unus est Christus*; *unus autem non conversione divinitatis in carnem*, aut etiam carnis in divinitatem, ut volebant Eutychiani.

An Christus sit unus, non duo,

2. Christum secundùm naturam divinam Patri esse coæqualem, coæternum, in omnibus similem, & consubstantialem, ut in Symbolo Nicæno tradunt Patres, qui explicarunt hunc articulum contra Arium dicentem: Filium Dei aliquando non fuisse, ex iis quæ non sunt factum esse, & creatum; atque alterius esse substantiæ & essentiæ ac Patrem. „ Contra hos errores ergo „ sic hunc articulum explicatius tra„ diderunt: Et in unum Dominum „ Jesum Christum, Filium Dei uni„ genitum: Et ex Patre natum an„ te omnia sæcula: Deum de Deo: „ lumen de lumine: Deum verum „ de Deo vero: Genitum non fa„ ctum, consubstantialem Patri, „ per quem omnia facta sunt.

An Christus similis Deo Patri.

Nota tamen Filium dici *lumen de lumine*, non quod sit alterius numero naturæ, sed ut ostendatur productum esse ex substantia Patris, sine ipsius ulla diminutione. Eadem igitur est numero natura in tribus Personis, non verò una & eadem specie, quomodo natura humana est una & eadem in multis hominibus, sicut hæretici contendebant.

Quomodo intelligẽdum *lumen de lumine*.

Quomodo natura sit una in tribus personis.

An Christus similis nobis.

3. Christum secundùm naturam hu-

manam nobis esse similem. „ Est „ enim perfectus Deus, perfectus „ homo, ex anima rationali & hu„ mana carne subsistens: " Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, ut habetur in Symbolo Athanasii.

An Christus sit Filius Dei Patris, simul & Mariæ Matris.

4. In Christo unicam, eamque divinam, scilicet, Verbi Personam esse; sicque Christum unam esse Personam, unicumque Filium, tum Patris æterni, tum beatæ Mariæ Virginis, „ Deus est ex substantia Pa„ tris ante sæcula genitus, & ho„ mo est ex substantia Matris in sæ„ culo natus. „ Ita Symb. Athan.

Quotuplex nativitas & generatio Christi.

Nota, quod duplex in Christo confitenda est Nativitas, una ex Deo Patre ante omnia sæcula, altera ex beata Maria in tempore. Confitendum pariter eumdem esse, & unicum Filium Patris æterni, & unicum Filium Virginis Matris; in unam enim personam divina & humana natura conveniunt, cùm idem sit verus Deus, & verus homo.

An unicus Filius Dei & Mariæ.

An unio duarum naturarũ sit physica vel moralis.

5. In Persona Verbi unitas esse illas duas naturas, unione physica & hypostatica, seu personali, non verò morali secundùm operationem, gratiam, vel alia hujusmodi, ut pertendebant Nestoriani.

An Christus ut homo sit filius Dei adoptivus.

6. Christum ut hominem non esse Filium Dei adoptivum; adoptio enim est personæ extraneæ asumptio ad hæreditatem, sed esse Filium natu-

ralem, eo quod sola persona Verbi subsistat. Circa hanc veritatem errant Ariani, qui dicebant Christum, utpote purum hominem, esse tantùm Filium Dei adoptivum. Erraruns Fœlix & Elipandus, qui contendebant, Christum quatenus hominem, esse Filium Dei adoptivum.

Cur Christus dicatur Dominus noster.

Dominum nostrum. Christus est Dominus noster, non solùm ut Deus, sed etiam ut homo, maximè quia Redemptor noster est, ac morte sua a peccatis, & a servitute diaboli nos liberavit, ac suæ ditioni & imperio addixit.

An Christus servus Dei sit dicendus.

Nota, quod Christus, cùm sit Dominus, non propriè & verè potest dici servus Dei; nam, licèt formam servi acceperit, id est, naturam, cui utpote creatæ ex sua essentia convenit servitus, attamen conditione non est servus, quod servitutis genus originem habet a peccato, tanquam illius pœna, & præterea, cùm Christus sit Filius Dei naturalis, non potest esse servus.

Explicatur tertius Articulus.

Unde caro Christi. An in utero Virginis formata, & quomodo.

Qui conceptus est. His verbis significatur, Filium Dei hominem factum esse, assumendo corpus in utero Virginis Mariæ, ex purissimo illius sanguine formatum; 1. Contra Mani-

Manichæos & Marcionitas, qui contendebant Christum non veram, sed phantasticam carnem habuisse; 2. Apollinaristas, qui carnem a Filio Dei non in tempore assumptam, sed ab æterno concreatam asserebant. 3. Contra Valentinum, qui dicebat Christum è cœlo detulisse carnem, & per Mariæ uterum, velut aquam per canalem transiisse. 4. Contra Appellen, qui dicebat, Filium Dei descendentem de cœlo, sydeream & aeream carnem contexuisse.

An vera caro. An ab æterno creata. An è cęlo delata. An syderea vel aerea.

Nota, quod non ad favendum huic errori dicitur in Symbolo Nicæno, *descendit de cœlis*, sed ut ostendatur contra Arianos, Filium Dei, qui utpote immensus & præsens ubique, non deseruit cœlos, in terris apparuisse, in assumpta carne a Virgine Maria.

Cur Christus dicatur descendisse de cœlis.

Huic articulo Symbolum Nicænum addit hæc verba: *& incarnatus est:... & homo factus est*, ut significetur Christum assumpsisse naturam humanam integram, constantem tum corpore, tum anima rationali, cum omnibus suis facultatibus; non verò semiplenam, hoc est animam carentem, etiam sensitiva, vel saltem mentis, & animæ rationalis expertem, ejus vices supplente verbo, ut contendebat Apollinaris, aut etiam voluntate & operatione humana, seu volitione carentem, ut contendebant Monothelitæ; dicit enim Christus: *tristis est anima mea usque ad:*

An natura fuit humana integra in Christo. An expers animæ etiam sensitivæ. An rationalis tantùm. An voluntatis ejusque operationis.

ad mortem, alio loco, *verum tamen non mea, sed tua fiat voluntas*.

De Spiritu sancto. Quamvis tres Personæ divinæ mysterium Incarnationis operatæ sint, cùm opera Trinitatis ad extrà sint indivisa, illud tamen opus attribuitur Spiritui sancto multis rationibus. 1. Quod in illo opere & mysterio immensus Dei amor erga nos eluceat, Spiritus sanctus autem est amor subsistens Patris, & Filii, eò quod procedat per voluntatem utriusque. 2. Quod miracula & opera supernaturalia tribuantur Spiritui sancto, utpote qui sit digitus Dei. 3. Quod natura humana a Filio Dei in unitatem Personæ assumpta sit, non ex aliquibus meritis cujuscumque, nec etiam ipsiusmet Christi, sed ex sola gratia, quæ ut donum Dei maximum attribuitur Spiritui sancto. 4. Ut significetur discrepare conceptionem Christi a conceptione cæterorum hominum, qui ex voluntate carnis & ex concupiscentia concipiuntur, ac proinde in peccato originali, quod comitatur concupiscentia & proclivitas in peccatum: talis autem non fuit conceptio Christi. 5. Quia Christus sanctus fuit non tantùm sanctitate accidentaria per gratiam, qua plenus fuit, sed & substantiali propter unionem hypostaticam Verbi; sic autem sanctus conceptus est, ideoque fuit impeccabilis; unde si dicitur factus *peccatum*, non propriè dicitur, sed impropriè, quia Ho-

Cur conceptio Christi tribuatur Spiritui sancto.

Mysteriũ Incarnationis amoris opus eximium.

An Christus aut alius meruerint Incarnationem.

An conceptio Christi omnino sit similis nostræ.

Quotuplex sanctitas Christi.

Unde ipsius impeccabilitas.

Hostia pro peccatis nostris factus est.

Quænam miranda in conceptione Christi. Quando & quomodo corpus Christi formatũ. An eodẽ instanti creata & unita ei anima. Et Persona Verbi. An statim infusa omnis sapientiæ & gratiæ plenitudo in anima Christi. An etiam visio beatificata ei concessa. An Christus simul comprehensor & viator. Quotuplicis generis scientia fuit in Christo.

Nota, quod multa miracula patrata sunt in conceptione Christi, quorum hæc præcipua sunt. 1. Quod in instanti, nempe quando Angelus salutavit Mariam corpus Christi sit formatum ex purissimo Virginis sanguine, non ex virili semine, ut alii homines, non operatione humana, sed divina, & supra omnem naturæ ordinem. 2. Quod eodem instanti creata anima Christi huic corpori unita sit. 3. Quod eodem etiam instanti Persona Verbi unita sit tum corpori, tum animæ illius. 4. Quod statim atque anima creata est, usum rationis habuerit, & omni sapientiæ & gratiæ genere cum maxima plenitudine & latitudine donata sit, in qua deinceps verè & propriè non profecit, sed sola demonstratione apud Deum & homines; ac præterea simul visione intuitiva Dei potita sit, itaut Christus esset comprehensor secundùm partem superiorem animæ, simul & viator secundùm inferiorem.

Nota ergo 1. Christum habuisse scientiam triplicis generis.

Habuit 1. Scientiam Beatorum, & quidem perfectiorem, quàm sit scientia illorum omnium. 2. Scientiam infusam qua perfectè cognovit res omnes tàm naturales quàm supernaturales in tempore existentes, hancque duplicem scientiam habuit ab instan-

ſtanti conceptionis, ex quo fuerunt in ipſo *omnes theſauri ſapientiæ*. 3. Habuit omnes ſcientias acquiſitas & experimentales, in quibus ſcientiis verè & propriè in tempore proficiebat, juxta illud *creſcebat ætate & ſapientia*.

Nota 2. Chriſtum habuiſſe gratiam ſanctificantem, quàm maxima haberi poteſt de lege ordinaria, ac præterea gratias actuales, & gratias gratis datas, dona Spiritus ſancti, & virtutes ſupernaturales, quæ gratiæ ſunt comites; non tamen habuit virtutes, quæ dicunt imperfectionem, pœnitentiam, v. g. propriè dictam, quia peccandi incapax erat; nec virtutes, quæ repugnabant illius ſtatui, fidem, v. g. videbat enim Deum intuitivè; nec ſpem propriè dictam, nam beatitudine animæ fruebatur, beatitudinem verò corporis ſibi jure debitam, maximè propter unionem hypoſtaticam, certò ſciebat aliquando ſibi reddendam eſſe.

An omnes gratiæ fuerint in ipſo.

An etiam fides, & ſpes.

Nota denique Chriſtum, licèt conceptum de Spiritu ſancto, non eſſe illius Filium, quia non conceptus eſt ab ipſo, nec productus per veram generationem, & in ſimilitudinem naturæ divinæ.

Cur Chriſtus non ſit filius Spirit. S.

Natus ex Maria Virgine. Maria verè & propriè dicenda eſt Mater Dei, contra Neſtorium, qui dicebat ipſam eſſe quidem Matrem Chriſti, non Dei; eſt ergo Mater non Chriſti tantùm, ſed etiam Dei, quia Chri-

An Chriſtus prius fuerit homo, quàm eſſet Deus.

ſtus non priùs fuit, quàm eſſet Deus, ſed eodem inſtanti quo fuit, fuit & Deus.

An Maria ſemper fuerit Virgo. Mariam ſemper fuiſſe Virginem, eſt de fide. Fuit ergo Virgo 1. Ante partum, quia non viri, ſed Spiritus ſancti operatione concepit; unde Joſeph, licèt verus ſponſus Mariæ, non fuit tamen pater Chriſti, niſi putativus, & nutritius carnis illius. 2. Fuit Virgo in partu; Chriſtus enim clauſtrum virginitatis Mariæ naſcendo non violavit, ſed ejus uterum ſine ulla læſione penetravit, ſicut radius Solis cryſtallum penetrat. 3. Deni que fuit Virgo poſt partum, quia præter Jeſum nullos filios genuit; eſt contra Helvidium & Jovinianum, dicentes, ipſam ex Joſepho filios ſuſcepiſſe. Joſeph itaque Mariæ in maritum datus eſt, ut eſſet cuſtos virginitatis illius & nutritius pueri JESU, & ne Maria lapidaretur ut adultera a Judæis. Porrò ſi qui in Scriptura dicuntur fratres Chriſti, non propriè fratres fuerunt, ſed cognati; cognati enim more loquendi Scripturæ & Hebræorum vocantur fratres.

An Joſeph Chriſti fuerit Pater.

An Chriſtus fratres habuerit.

Cur Maria Joſeph deſpōſata.

Nota, huic articulo Symbolum Nicænum has voces addidiſſe, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*, ad oſtendendum, quis ſit ille qui venit in mundum, nempe Filius Dei Patris, & propter quem finem venerit, nempe ut nos redimeret a ſervitute peccati.

Hinc

Hinc intellige finem Incarnationis esse remissionem peccati originalis primariò, & deinde aliorum omnium peccatorum, per satisfactionem condignam, & ex stricta justitia, utpote infinitam, a persona infinita, Deo Patri ex indebitis & propriis oblatam: quo fine posito, collige necessariam fuisse Incarnationem; nam licèt Deus potuerit remittere peccatum originale multis modis, attamen quia peccatum est infinitæ malitiæ, propter Deum infinitum per illud offensum; non nisi infinita satisfactione, per personam infinitam oblata, condignè potuit remitti. Immò & illa satisfactio Christi utpote formaliter infinita, fuit superabundans, dicente Paulo, *non sicut delictum, ita & donum; ubi autem superabundavit delictum, superabundavit gratia.*

Quis finis Incarnationis.

An necessaria fuerit incarnatio.

Hinc præterea inferas probabilissimum esse, juxta sententiam divi Thomæ, quod si Adamus non peccasset, Christus non fuisset incarnatus.

Explicatur quartus articulus.

Passus. Christus verè passus est variis cruciatuum & injuriarum generibus; passus est corpore, & anima, quam, quoad partem inferiorem, tradidit humanorum affectuum

An Christus passus sit corpore & anima, & quomodo.

per-

perpessionibus, eo modo ac si Divinitati conjuncta non fuisset, nec visione intuitiva ac summa beatitudine donata quoad superiorem partem. Passus est itaque Christus ut homo, non ut Deus.

Quis fuerit Pontius Pilatus.

Sub Pontio Pilato. Hæc verba apposita sunt in Symbolo ut historiæ, & temporis quo Christus passus est exploratior cognitio haberetur; tunc enim Pontius præses erat Judææ, sub Tiberio Romanorum Imperatore; & ut illa Salvatoris prædictio impleta cognosceretur, *tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*.

Quodnam fuerit mortis Christi genus.

Crucifixus. Hæc vox significat mortis genus quam Christus pro nobis perpessus est, quo genere mortis nullum aliud, vel crudelius, vel turpius potest excogitari.

An Christus verè mortuus sit.

Quodnam mortis illius argumentum.

Mortuus & sepultus est. Christus ergo verè mortuus est; & ut de morte illius nullus dubitandi sit locus, additur *& sepultus est*, cùm de morte illius dubitare non liceat, cujus corpus tribus diebus sepultum fuisse probatur; hinc refellitur error Manichæorum, Phantasiastarum, & aliorum Hæreticorum dicentium, Christum non verè fuisse mortuum.

An Persona Verbi separata sit a corpore vel anima.

Mors Christi est saparatio ejus animæ a corpore; licèt autem anima esset separata a corpore triduo mortis, attamen Persona divina remansit unita animæ, quæ descendit ad inferos, & corpori quod jacebat in sepul-

sepulchro, sanguinique effuso ex corpore in cruce, secundùm axioma Theologorum, *quod semel assumpsit Verbum, nunquam dimisit.*

An corpus Christi corruptū sit.

De fide est corpus Christi, licèt mortuum, putredinis corruptionem non fuisse expertum, conservante illud Divinitate ipsi unita hypostaticè.

An liberè Christus mortē subierit.

Nota 1. Christum liberè, non ulla necessitate sibi a Judæis, vel etiam a Patre æterno imposita mortuum esse; licèt enim mors illi imperata fuerit a Patre, illam oppetiit non servili, sed libero consensu Patris præcepto; atque impeccabili quidem, sed tamen libera & indifferenti voluntate, quod vix humana ratio potest comprehendere.

An Christus pro solis prædestinatis mortuus sit.

Nota 2. Huic articulo Symbolum Nicænum addidisse hæc verba, *crucifixus etiam pro nobis*, id est pro omnibus & singulis hominibus, non pro solis prædestinatis, idque est de fide contra Calvinum. Unde damnata est ut hæretica hæc propositio: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Quinam sint effectus Passionis, & mortis Christi. An cęlum fuerit apertum ante mortē Christi.

Nota 3. Multa nobis bona ex passione Christi obvenisse, quæ sunt effectus illius. 1. Liberatio a peccato, 2. Liberatio a Diaboli tyrannide. 3. Solutio pœnæ peccatis debitæ, oblato pretio infinito pro omnibus omnium hominum peccatis, & sacrificio omnium gratissimo. 4. Cœli referatio; iis enim, qui in gratia & fide

in

in Messiam venturum defuncti erant, non patuit cœlum ante mortem Christi, *sanguis enim Christi clavis paradisi*, ut dicitur.

Quot modis nobis profuerit Passio Christi.

Nota 4. Quod Passio Christi nobis profuit quatuor modis. 1. Per modum meriti. 2. Per modum satisfactionis. 3. Per modum redemptionis. 4. Per modum sacrificii.

Quandonam Christus meruerit. Quid meruerit nobis & sibi.

Profuit autem per modum meriti: nam licèt actiones ejus ab instanti conceptionis fuerint meritoriæ, meritum tamen Christi non fuit consummatum nisi in morte ejus: dicitur enim *una oblatione consummavit sanctificationem*.

Morte ergo sua meruit nobis vitam æternam, & media ad illam conducentia; imprimisque gratiam; sibi verò meruit gloriam corporis & exaltationem nominis sui. Item mortem obtulit Deo Patri pro gratiis concessis omnibus hominibus ante ipsum defunctis, quæ gratiæ concessæ illis fuerunt intuitu meritorum futurorum Christi venturi.

Cùm Christus pro omnibus mortuus sit, cur non omnes salvẽtur.

Nota 5. Quod licèt Christus mortuus sit pro omnibus, ac proinde satisfecerit pro omnibus, omnibusque meruerit gratiam, non omnes tamen mortis ejus beneficium accipiunt, ut docet Conc. Trid. necesse est ergo ut applicentur nobis merita & satisfactiones Christi per sacramenta, & bona nostra opera cum gratia ipsius facienda, & maximè per cooperationem nostram illius gratiis

præ-

prævenientibus; hinc fit, ut non omnes salventur, non enim omnes cooperantur gratiæ.

Explicatur quintus Articulus.

Descendit ad inferos. Inferorum nomen non sepulchrum significat, ut quidam, non minus impiè, quàm imperitè putaverunt; sed abdita illa receptacula, in quibus detinentur animæ cœlestem beatitudinem non consecutæ. Ante Passionem Christi tria fuerunt. Quid significet vox inferi.

Primus est infernus damnatorum, qui est infima regio terræ, sive carcer teterrimus, ubi reproborum animæ Dei visione in æternum privatæ perpetuo & inextinguibili igne cum diabolis torquentur. Dicitur *gehenna*, *abyssus*, & propriè *infernus*. Quid sit infernus.

Nota, infantes cum peccato originali mortuos in hoc receptaculo in æternum detinendos esse.

2. Est Purgatorium, seu locus, in quo detinentur piorum animæ quibusdam peccatorum venialium maculis inquinatæ, vel pœnis peccatorum, culpa dimissa luendis obnoxiæ, & in quo ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in cœlum pateat aditus, in quod nihil coinquinatum introire potest. Quid sit Purgatorium.

Nota, hæc duo receptacula nunc existere, ut ante Christum extiterunt,

runt, sed Purgatorium post judicium amplius non fore.

Quid sit limbus Patrum.

3. Est Limbus, seu subterranea regio duabus his superior, in qua animæ Sanctorum, quibus nulla labes purganda, & nulla pœna pro peccatis solvenda supererat, ante Christi adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentatæ, quieta habitatione fruebantur; ideo *sinus Abraha* credentium Patris dicitur in Scripturis. Huc nempe ad Limbum animam Christi, non virtute tantùm & operatione, sed & præsentia descendisse de fide est; sicut, nec eam inferni ac damnatorum pœnas, privationemque visionis beatificæ pertulisse, ut impiè blasphemando Calvinus asseruit.

Cur dicatur *sinus Abraha*.

Cur Christus descẽderit ad inferos.

Porrò descensus illius causæ sunt. 1. Ut sanctos Patres & justos inde liberaret, & visione beatifica donaret; unde dixit latroni, *hodie mecum eris in Paradiso*, id est, videbis Deum. 2. Ut in hac tenebrarum regione, quemadmodum & in cœlo, ac in terris suam potestatem manifestaret.

Quosnam liberavit Christus ab inferis.

Ex his ergo Limbis Patriarchas, Prophetas, & justos liberavit, die suæ resurrectionis. Ex inferno neminem liberavit, *in inferno* enim *nulla est redemptio*; at ex Purgatorio, quos dignos tali beneficio judicavit, illos duntaxat liberavit, cæteros verò lætitia affecit, pœnarumque moderatione recreavit.

Re-

Resurrexit. Id est, anima illius iterum unita est ejus corpori. Resurrexit autem propria virtute; erat enim Deus; & quidem omnium primus resurrexit resurrectione perfecta, ad vitam scilicet immortalem; unde dicitur *primogenitus mortuorum*; nulli enim antea fuerant ita resuscitati, ut non amplius morerentur.

An Christus seipsū resuscitaverit. Cur dicatur *primogenitus mortuorū*.

Tertia Die. Sicut promiserat, ut inde probaret se esse Filium Dei, & sicut prædictum fuerat a Prophetis; idcirco addit Symbolum Nicænum *secundùm Scripturas*.

Resurrectio Christi argumentum illius Divinitatis.

Triduum ad veram mortem comprobandam necessarium fuit, & etiam sufficiens. At triduum completum non intelligas, sed parte sumpta pro toto; sexta enim feria, hora nona mortuus est Christus, & tertia die, quæ exinde Dominica in Ecclesia appellatur, resurrexit summo mane.

Quomodo intelligatur Christū tribus diebus fuisse in sepulchro. Quo die Christus resurrexit.

Nota, Corpus Christi post Resurrectionem idem fuisse ac antea, id est, verum & integrum, unitis etiam ipsi sanguine & partibus ad integritatem requisitis, quæ in passione ab ipso fuerant separatæ; verumtamen illud Corpus, gloriosum cum dotibus gloriosis resurrexit, retentis nihilominus cicatricibus, & vestigiis vulnerum, ad fidem Resurrectionis suæ confirmandam, ad insignia victoriæ suæ circumferenda & interpellandum semper pro nobis apud Deum

An post resurrectionem Corpus Cristi fuerit verum & integrū. An gloriosum. An cum cicatricibus.

Deum Patrem, ostendendo ipsi pretia nostræ libertatis.

Explicatur sextus Articulus.

Cur Christus per quadraginta dies cũ Discipulis conversatus sit.

An Christus propria virtute ascenderit in cœlum ut homo.

Ascendit ad cœlos. Post quadraginta dies, quibus conversatus est cum suis Discipulis Christus, tum ut fidem suæ Resurrectionis stabiliret, tum ut eos multa doceret, quæ ad regnum Dei pertinent, de fide scilicet, de moribus, de sacramentis, & cæteris hujusmodi, stipantibus Angelis, & comitantibus justis & sanctis, non aliena virtute assumptus est in cœlum, sed propria vi tum Divinitatis, tum animæ beatæ: in ipsum ascendit, ut homo, non ut Deus, ut sic enim, quia immensus, ab ipso nunquam abfuerat.

An Deus habeat dexteram. An Christus sedeat in cœlis.

Sedet ad dexteram Dei Patris. Istud non sic intelligendum, quasi Deus Pater habeat dexteram; nam Deus Spiritus est, nec quasi Christus hunc situm habeat in cœlo, sed *dextera* nomine intelligitur gloriæ & potestatis Christi æqualitas cum Patre, cui est æqualis & similis in natura, ut Deus: deinde intelligitur eminentia, & excellentia ejus ut homo est, supra omnes creaturas, Angelos, & Beatos. Nam in humanis ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram regis

gis v. gr. collocatus est: denique intelligitur summa & æterna Christi fœlicitas, cujus tum felicitatis, tum dignitatis stabilitas intelligitur nomine *sessionis*.

Porrò nomine *dexteræ* fœlicitatem intelligi; hinc collige, quod electi a dextris, & reprobi a sinistris collocabuntur in judicio generali. Cur electi a dextris, & reprobi a sinistris.

Explicatur septimus Articulus.

Inde venturus est judicare. Huic articulo Symbolum Nicænum addit particulam, *& iterum*, ad innuendum, adventum Christi in terras secundum formam visibilem, duplicem esse. Primus fuit, cùm carnem assumpsit, ut nos redimeret; secundus erit, cùm veniet, ut judicet omnes homines in judicio generali, de quo intelligendus est iste articulus; duplex est enim judicium, primum est particulare, quod statim post mortem uniuscujusque hominis fit, secundum generale & ultimum, quod post resurrectionem generalem fiet, cùm uno die, & uno in loco, omnes simul homines ad tribunal Judicis stabunt, ut, omnibus hominibus præsentibus, singuli, quid jam de omnibus judicatum fuerit, cognoscant; sicque confirmetur & publicetur sententia judicii particularis singulorum, hincque confusione & igno-

Quotuplex advẽtus Christi.

Quotuplex judicium.

ignominia reprobi, electi verò gloria afficiantur.

An dies judicii sit notus.

Illud judicium in Scripturis dicitur *dies Domini*, qui dies omnibus est ignotus. Ipsum quædam signa præcedent; præcedet enim Antichristus, regnum & honores Christi usurpans, Ecclesiam persequens, immò & falsis miraculis maximam partem hominum a Christi fide, & Ecclesia adducens. Illud judicium immediatè præcedet ignis, quo inflammabitur, sicque purgabitur mundus innovandus, & quo simul corpora hominum, qui adhuc vivent, adveniente Christo absumentur: & statim velut in *ictu oculi*, *canente tuba*, id est, imperante Domino ad vitam redibunt, unde additur *vivos & mortuos*.

Quis erit Antichristus.

Quis erit finis mundi.

An adveniente Christo aliqui adhuc vivet.

Vivos & mortuos, id est, omnes omninò homines, tàm illos, qui ante adventum Christi mortui fuerint, quàm illos, qui adveniente ipso morientur, statimque resurgent, judicabit Christus.

An Christus judicabit ut Deus.

Porrò licèt potestas judicandi conveniat tribus personis, attamen speciali ratione attribuitur Christo, ut Deus est, quia sapientia est subsistens Patris; ad sapientem verò pertinet judicare, judicabit autem non solùm ut Deus est, sed & ut homo, qui, ut ait Scriptura, *veniet cum potestate magna & majestate*. Veniet inquam, *judicium facere*, *quia filius hominis est*. *Joan.* 5.

An ut homo.

Judicandorum duo erunt ordines,

electi

electi erunt a dextris, reprobi verò, inter quos erunt infantes, qui sine Baptismo è vita excesserunt, a sinistris stabunt.

Quot erãt ordines judicandorum.

Duplex pronuntiabitur sententia. Electis dicetur, *Venite Benedicti Patris mei, possidete regnum, &c.* reprobis verò, *Ite maledicti in ignem aeternum, &c.*

Nota 1. Ignem inferni non esse metaphoricum ignem, sed verum, & hoc de fide est. An verò ignis ille torqueat animas & diabolos, uratque physicè per potentiam obedientialem, an verò tantùm moraliter. Theologi disputant; aliis affirmantibus, aliis negantibus ignem physicè comburere spiritus.

An ignis inferni sit verus ignis.

Nota 2. Pœnam damnatorum esse duplicem; aliam damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ, aliam sensus, quæ consistit in cruciatibus, tum animæ, tum corporis.

Quotuplex pœna damnatorum.

Nota 3. Esse de fide contra Pelagianos, quod infantes cum peccato originali defuncti, æterna beatitudine, ac proinde visione beatifica priventur; non verò esse de fide, quod pœna sensus, seu ignis crucientur: sed hac de re controversia est inter Theologos, quorum aliqui affirmativam sententiam tenent, aliqui negativam cum D. Thoma.

An infantes patiãtur pœnã ignis.

Nota 4. Pœnas damnatorum fore æternas; & hoc de fide, contra Hæreticos quosdam censentes illas pœnas aliquando finiendas esse.

Explicatur octavus Articulus.

Credo in Spiritum Sanctum. Id est, credo tertiam personam Trinitatis, quæ vocatur Spiritus sanctus, verum esse Deum, consubstantialem Patri, & Filio, ex quibus procedit; quapropter, in ipsam velut in ultimum finem & summum bonum toto affectu & amore tendo.

An Spiritus S. sit creatura. Detestanda ergo est hæresis Macedonii, qui Spiritum sanctum creaturam esse asserebat; ad quam hæresim damnandam Concilium Constantinopolitanum symbolo addidit *Dominum, & vivificantem qui ex Patre procedit; qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas.*

An Ecclesia addiderit particulam Filioque. An jure. An Symboli Nicæni dies mutata. His verbis postea addidit Ecclesia particulam, *Filioque*; qui ex Patre Filioque procedit contra errorem Græcorum, qui negant Spiritum Sanctum a Filio procedere. Jure ac merito illa additio facta ab Ecclesia, ad majorem fidei explicationem, quæ continetur in Symbolo Nicæno, his verbis, *qui a Patre procedit*; nam cùm procedat a Patre per voluntatem, quæ voluntas est eadem in Filio, & quidem fœcunda, consequens est, ut procedat a Filio.

An sint duo spiratores in divinis, vel duplex spiratio. Procedit itaque Spiritus sanctus a Patre, & Filio, non tanquam a duobus

bus ſpiratoribus, vel a duobus principiis, & duabus ſpirationibus; ſed tanquam ab uno principio, & una ſpiratione. Procedit autem non tanquam Filius amborum, & hoc de fide tenendum eſt, cùm unicus ſit Filius in Trinitate; hujus dogmatis rationem probabilem hanc vulgò afferunt Theologi, ideo Spiritus ſanctus quamvis productus a Patre, & Filio, non tamen eſt Filius utriuſque, quia ex vi ſuæ proceſſionis formaliter, non procedit ſimilis producenti, quod requiritur ad veram filiationem & generationem; non procedit autem ſimilis vi ſuæ proceſſionis, quia procedit per voluntatem, cujus non eſt proprium efformare imaginem & ſimilitudinem ſui termini, ſicut proprium eſt intellectus, per quem Filius a patre procedit, unde hic rectè dicitur, & eſt Filius Patris, & proinde unicus & unigenitus Filius in Trinitate.

An Spiritus S. ſit Filius Patris, & Filii. Et cur non ſit.

Ad ſupradicta omnia explicanda dicitur in Symbolo ſancti Athanaſii *Spiritus ſanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

His nominibus appellatur Spiritus ſanctus.

1. Appellatur *Spiritus ſanctus*, nomine quidem communi Patri, & Filio; uterque enim & Spiritus, & ſanctus eſt: ſed ideo ſic vocatur, quod proceſſio illius non habeat proprium nomen, ſicut habet proceſſio Filii,

Quænam nomina Spiritus S. Cur Spitus S ſic appelletur.

Filii, quæ dicitur generatio, unde nomine proprio dicitur *Filius*, sicut prima persona a qua generatur, dicitur *Pater*; nisi malis dicere Spiritum sanctum dici *Spiritum a spiratione & spirando*, non *a spiritalitate*, ideo autem Spiritus sanctus a spirando & spiratione dicitur, quod procedat per voluntatem Patris & Filii, cujus voluntatis actio est motio, & impulsio in objectum amatum; amor enim qui est motus voluntatis impellit amantem in amatum, *spiritus* autem nomen in corporalibus rebus impulsionem, & motionem quandam significat, unde vento, halitui, & spirationi viventium nomen spiritus tribuitur. Dicitur ergo Spiritus, eo quod sit amor & charitas subsistens Patris, & Filii: dicitur Sanctus eo quod sanctitas tribuatur præcipuè amori Dei, & præterea eo quod vitam spiritualem gratiæ & gloriæ nobis conferat, sicque nos Sanctos efficiat.

Cur Paracletus.

2. Appellatur Spiritus *Paraclitus* aut *Paracletus*, id est, *Consolator*, quia consolatur nos in omni tribulatione nostra, sive *Advocatus*, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est ad postulandum nos movet; unde & dicitur *Spiritus precum*.

Quænam sint dona Spiritus S.

3. Appellatur ab operationibus & donis suis: Spiritus *sapientiæ*, *intellectus*, *consilii*, *scientiæ*, *fortitudinis*, *pietatis*, & *timoris*; hæc enim septem dona justis impertitur.

4. Ap-

4. Appellatur *digitus Dei*, in quo Christus ejiciebat dæmonia, & miracula operabatur.

Cur appelletur digitus Dei.

5. Appellatur *Bonitas*, appellatur *Donum*, & quidem personale, quia est amor; amor autem est primum donum, sicque Spiritus sanctus est primum, & præcipuum omnium donorum, quæ hominibus a Deo impenduntur, ac proinde Spiritui sancto, quia est *amor, bonitas & donum*, attribuuntur cætera omnia dona gratiæ, & gloriæ collata hominibus & Angelis.

Cur Bonitas & donum.

Nota 1. Spiritum sanctum dari, ut homines vivificet, unde dicitur *vivificans*, unde etiam regeneratio ipsi tribuitur, juxta illud, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.*

An, & cur Spiritus S. dicatur vivificans.

Nota 2. Omnes, quotquot per gratiam vivificati sunt, a Spiritu sancto vivificatos esse; eos etiam intellige, qui ante adventum Christi Deo placuerunt, credentesque in mediatorem venturum, & implentes Legem Dei in fide quæ per dilectionem operatur, spem habentes bonorum non temporalium, sed æternorum, mortui sunt; tales enim ad Legem gratiæ pertinebant, licèt viverent sub veteri Testamento.

Quomodo Patres veteris Testamenti vivificati sint.

Nota 3. Spiritum sanctum non solùm vivificasse & sanctificasse homines, sed etiam Angelos.

An a Spiritu S. Angeli fuerint vivificati.

Nota 4. Spiritum sanctum nos vivificare & sanctificare. Primò & pri-

Quomodo Spiritus S. vivificet.

mariò., intima personæ suæ inhabitatione, deinde gratiæ & charitatis diffusione in cordibus nostris, simul cum virtutibus supernaturalibus, & donis, quibus omnis instructa anima opera vitæ spiritalis exercet; inter quæ imprimis sunt illa, quæ dicuntur fructus Spiritus sancti, qui sic recensentur ab Apostolo; *fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

Quinam sint fructus Spiritus S.

Cur corpora Sanctorum dicantur templa Spiritus S.

Nota 5. Spiritum sanctum nos præterea vivificare, vitam immortalem animæ tribuendo, in corpore ad vitam gloriosam & æternam suscitando refundendam, & proinde ratione horum omnium dicuntur templa Spiritus sancti.

Quandonam Christus dederit Spir. S. Apostolis.

Nota 6. Quod Christus bis dedit Spiritum sanctum Apostolis. 1. Post Resurrectionem, quando insufflavit in Apostolos dicens: *Accipite Spiritum sanctum*, eumque simul eis promittens dandum cum majori spiritalium donorum copia, ut possent prædicare per totum orbem. 2. Decem post Ascensionem diebus die scilicet Pentecostes, id est, quinquagesimo a Paschate, quo die misit Spiritum sanctum visibiliter in figura ignitarum & dispertitarum linguarum, quibus significabatur donum linguarum Apostolis impertitum ad prædicandum Evangelium universo orbi, & omnibus diversarum lingua-

rum

rum gentibus ad unitatem fidei convertendis.

Nota 7. Quod, licèt Spiritum sanctum in se invisibiliter missum & manentem habuerint Discipuli, & etiam omnes, qui ante Passionem Christi ab initio mundi sanctificati sunt; attamen visibili modo hominibus missus non fuit, neque tanta donorum copia effusus, quanta datus est post Ascensionem Christi, secundùm quod Christus dixerat, *nisi abiero, Paraclitus non veniet.*

Quotuplex missio Spiritus S.

Explicatur nonus Articulus.

Credo Sanctam Ecclesiam. Licèt Ecclesia sit visibilis, illiusque visibilitas nullis unquam hæresum & persecutionum tenebris obscurari possit, civitas enim est supra montem posita, frustrà oblatrantibus Hæreticis; attamen Ecclesiam credere est actus fidei: aliud enim videtur, aliud creditur; videtur cœtus fidelium legitimo Pastori adunatus in eadem fidei professione, & Sacramentorum participatione; creditur verò & non videtur veritas illius & potestas ad ligandum & solvendum, ad conficienda Sacramenta, gratiamque conferendam; cum cæteris ejusmodi mysteriis, quæ in Ecclesia continentur. Uno verbo, videtur corpus Ecclesiæ; non videtur, sed creditur Spiritus, quo animatur, & regitur.

An Ecclesia sit visibilis.

An credere Ecclesiam sit actus fidei.

Cur non credamus in Ecclesiam.

Nota, quod Ecclesiam, non vero in Ecclesiam credere oportet; Ecclesia enim est a Deo, & ad Deum refertur ut ad finem: at in solum Deum, & proinde in tres Personas Trinitatis duntaxat credere oportet, & in illas tendere per amorem tanquam in ultimum finem.

Quid significet nomen Ecclesiæ. Quid sit Ecclesia universim sumpta.

Ecclesia secundùm nomen est *evocatio* quorundam, vel *concilium* vel *concio*: secundùm rem verò, prout consideratur in se, & secundùm essentiam, non autem in aliquo statu particulari, definitur *congregatio sive cœtus fidelium legitimis Pastoribus adunatus*.

An Ecclesia sit ab initio mūdi.

Nota 1. Ecclesiam sic sumptam ab initio mundi fuisse, & incœpisse in Adamo & Eva, ac deinde propagatam esse in justis veteris Testamenti, tuncque vocatam *Synagogam*.

Quænam mutatio facta sit in Ecclesia adveniēte Christo.

Nota 2. Adveniente Christo Ecclesiam mutasse statum, non essentiam; nam facta est mutatio, non Dei, neque religionis, neque Fidei, sed sacrificiorum, Sacramentorum, & cœremoniarum.

Quotuplex Ecclesia. Quinam ad militātem pertinent.

Nota 3. Ecclesiæ secundùm essentiam consideratæ duplicem esse partem, altera est *triumphans*, altera *militans*. Ad militantem pertinent fideles, qui in terris peregrinantur & cum hostibus salutis pugnant; ad triumphantem pertinent Sancti, qui de mundo, carne, & diabolo triumpharunt, ac in cœlo regnant; ad illam etiam pertinent Angeli sancti,

Quinam ad triumphantem.

qui

qui uni Deo semper adhærentes, a diabolis victoriam reportarunt; ad illam præterea revocatur pars, quæ dicitur *patiens*, quæ est eorum, qui licèt de hostibus triumpharint, tamen nondum regnant in cœlo, sed interim pœnam ignis patiuntur in Purgatorio. Quid sit Ecclesia patiens.

Ecclesia militans secundùm statum, quem habet in novo testamento definitur

Congregatio seu cœtus hominum ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum participatione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipuè unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis. Quid sit Ecclesia novi Testamenti.

Dicitur 1. *cœtus hominum*, non Angelorum, qui uni Deo semper adhæserunt, & non pertinent ad hanc nostram militantem Ecclesiam, sed ad triumphantem. An Angeli sint de Ecclesia.

Dicitur 2. *ejusdem fidei Christianæ*, & sic ab Ecclesia excluduntur Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, deinde apostatæ & hæretici quia ab illa defecerunt; idque est de fide contra hæreticos, qui omnes Christianos etiam hæreticos ad Ecclesiam pertinere contendunt, ideoque *Tolerantes* dicuntur. An hæretici & infideles sint de Ecclesia.

Non excluduntur verò peccatores ab Ecclesia, licèt sint ejus membra duntaxat mortua, quandiu peccatores sunt, nec excluduntur reprobi, idque est etiam de fide contra Calvinistas dicentes: Ecclesiam esse so- An peccatores. An reprobi.

lorum

lorum prædestinatorum. Quamvis ergo reprobi non pertineant ad Ecclesiam secundùm statum quem habebunt in futuro sæculo, ad ipsam tamen pertinent secundùm præsentem statum; immò, si justi sint, pertinent ad ipsam secundùm gratiam, licèt non secundùm præscientiam; quamvis etiam mali non sint simpliciter membra Ecclesiæ, quia non sunt viva membra, tamen sunt aliquo modo, sicut membra mortua sunt membra corporis in quo sunt.

An mali dicendi sint membra Ecclesiæ.

Dicitur 3. *eorundem Sacramentorum participatione*. Excluduntur ergo ab Ecclesia excommunicati, qui separati sunt a participatione Sacramentorum; excluduntur Catechumeni, qui in utero quidem Ecclesiæ jam concepti sunt, sed nondum sunt nati per baptismi regenerationem.

An excōmunicati sint in Ecclesia.

An Catechumeni.

Dicitur 4. *sub regimine legitimorum Pastorum*, & sic excluduntur falsæ & adulterinæ Ecclesiæ hæreticorum.

Dicitur 5. *unius in terris Christi Vicarii, Romani Pontificis*, & sic excluduntur a vera Ecclesia Schismatici, qui licèt fidem Catholicam profiteantur, & eadem nobiscum Sacramenta participent, ad Ecclesiam tamen non pertinent, quia ab obedientia summi Pontificis defecerunt.

An Schismatici.

Nota 1. Hunc articulum a Symbolo Nicæno his verbis explicari *& Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Ex quibus collige quatuor esse notas veræ Ecclesiæ.

Quot sint notæ Ecclesiæ.

Prima

Prima est, quod sit *Una*; Una autem est ob unitatem capitis, spiritus, fidei, spei, & baptismatis. Propterea dicitur ab Apostolo unum corpus, corpus nempe mysticum, cujus Christus est caput, fidelesque sunt membra, in quæ Christus gratiam influit.

Quare Ecclesia *Una* sit dicenda.

Porrò quamvis Christus sit caput Ecclesiæ invisibile, ad unitatem tamen illius requiritur caput visibile; quod est Romanus Pontifex, S. Petri legitimus successor; unde sola Romana Ecclesia non illa quidem duntaxat, quæ Romæ est, sed ea quæ toto orbe diffusa Romano Pontifici adhæret, est vera Christi Ecclesia; ideo Catholici, Romani dicuntur.

Quid intelligatur nomine *Romana Ecclesia*.

Ex his collige 1. Cathedram S. Petri esse centrum unitatis Ecclesiasticæ. 2. Primatum jure divino datum esse S. Petro, ejusque legitimis Successoribus. Quamvis igitur Apostoli æquo jure fuerint Ecclesiæ fundamenta, secundaria scilicet, nam Christus primarium fundamentum est, licèt, inquam fundamenta fuerint, ratione Apostolatus, doctrinæ, & prædicationis; solus tamen Petrus constitutus est caput. Hinc hæreticum est asserere, sanctos Petrum & Paulum duos esse Ecclesiæ Pastores, qui unum caput constituunt, si intelligatur hæc sententia, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & in-

An Apostoli sint dicendi fundamẽta Ecclesiæ, & quomodo.

An Petrus solus sit caput visibile Ecclesiæ.

Quotuplex caput Ecclesiæ.

in regimine univerſalis Eccleſiæ. 3. Collige duplex eſſe caput Eccleſiæ, primum eſt inviſibile, & principale, ſcilicet Chriſtus, alterum eſt viſibile, & miniſteriale ſub Chriſto, ipſique ſubordinatum, nempe Romanus Pontifex: Eccleſia enim non eſt corpus naturale, ſed morale, in quo poſſunt eſſe plura cum ſubordinatione capita.

Quare, & quomodo Eccleſia ſit *Sancta*.

Secunda nota Eccleſiæ eſt, quod ſit *Sancta*; licèt enim multos peccatores complectatur Eccleſia, attamen ſancta eſt. 1. Quia præcipua ejus membra ſancta ſunt, non ſolùm quæ in cœlis ſunt, quales ſunt Angeli, animæ beatæ, quibus adde animas detentas in Purgatorio; ſed etiam quæ ſunt in terra, in qua multi juſti ſunt, & mortalium ſaltem criminum expertes, qui peccatorum hominum criminibus non maculantur, cùm illa reprehendant correctionibus, exemplis, & diſciplina; cæteri item fideles, qui fidem, & baptiſma receperunt, licèt in peccato ſint, Sancti etiam dicuntur, ob profeſſionem ſanctitatis. 2. Eccleſia ſancta eſt, & ratione ſui capitis, nempe Chriſti, qui *Sanctus Sanctorum* eſt, & fons omnis ſanctitatis, & ratione ſancti Spiritus, qui ipſius eſt veluti cor, & anima. 3. Sancta eſt eo quod in ipſa ſola ſit legitimus ſacrificii cultus, & ſalutaris Sacramentorum uſus, per quæ ſanctitas conferatur. 4. Sancta eſt, ratione de-

An omnes fideles aliquo ſenſu Sancti ſint

An extra ipſam aliquis ſanctus eſſe poſſit.

doctrinæ, quæ ut nihil falsum, ita nihil non sanctum continet. 5. Denique Sancta est, quia extra ipsam nulli sancti sunt.

Tertia nota Ecclesiæ est quod sit *Catholica*, id est Universalis. Universalis autem est. 1. Ratione loci; nam toto orbe est diffusa. 2. Ratione temporum, quia omnes fideles ab initio mundi usque in finem ad Ecclesiam pertinent. 3. Ratione doctrinæ fidei, in qua ubique semper, & ab omnibus idem sine ulla variatione creditum est. Variare quidem potest Ecclesia in his, quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, non verò in his, quæ ad fidem, licèt fides sit perfectior post adventum Christi, quàm antea. 4. Ecclesia universalis est ratione finis, quia omnes, qui salvari cupiunt, illi adhæreant oportet.

Quomodo Ecclesia *Catholica* sit. An ab initio mundi usque ad finem sit duratura. An Ecclesia variare possit, & quomodo.

Quarta nota Ecclesiæ est, quod sit *Apostolica*. Est autem Apostolica. 1. Quod a Christo per Apostolos fundata est, & per eos deinde propagata. 2. Quod doctrina illius ab Apostolis tradita & in orbem disseminata est, ac Episcoporum continua successione ad nos usque traducta.

Quare Ecclesia dicatur *Apostolica*.

Ex his collige. 1. Notas has omnes soli Romanæ Ecclesiæ, quæ sola est proinde vera Ecclesia, convenire. 2. Ipsam a Spiritu sancto perpetuò regi; & proinde ipsam infallibilem, tum in decretis fidei, tum in decretis morum. 3. Fideles teneri

neri acquiescere & obedire ejus judiciis, decretis, & præceptis, cùm de fide & de disciplina agitur: *qui enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, ait Christus.

Quid sit communio Sanctorū.

Communionem Sanctorum. Intelligitur per communionem Sanctorum, 1. Societas omnium Ecclesiæ membrorum sive quæ in terris adhuc militant, sive quæ in purgatorio patiuntur, sive quæ in cœlis triumphant. Quæ societas & unio intelligenda est membrorum omnium, tum inter se, tum cum capite Ecclesiæ, nempe Christo.

Quodnam sit cōmercium inter omnes Sanctos.

Secundò intelligitur *sacrum commercium* suffragiorum meritorum, & bonorum operum inter omnia Ecclesiæ membra unita eodem vinculo charitatis, & in uno Spiritu; nam beati qui cum Deo in cœlis regnant, fideles in terra peregrinantes suis apud Deum precibus adjuvant; ac proinde jure & meritò honorandos ab ipsis & orandos esse

Quomodo possit subveniri animabus purgatorii

definivit Ecclesia; justi verò in terris viventes, & sibi invicem, & animabus in purgatorio detentis opitulantur per orationes, jejunia, eleemosynas, & alia bona opera, ac maximè per sacrificium altaris, nec non per Indulgentias. Succurrunt autem animabus nondum integrè pur-

Quid sint suffragia.

gatis, ut pœna mitior fiat, aut brevior, vel etiam ut tota remittatur. Omnes igitur fideles communio-

nionis Sanctorum, & suffragiorum participes sunt, non tamen æqualiter, sed habita ratione fidei, & charitatis suæ. Suffragia autem sunt *bona opera, sive meritoria, sive satisfactoria, proximo salutaria.*

Tertiò intelligitur *communio, seu communitas* gratiæ, charitatis, & omnium donorum. Quidquid enim in Ecclesia cuiquam collatum est, commune est quodammodo omnibus, propter unitatem Ecclesiæ, & Spiritus, a quo regitur, & vivificatur.

Quare in Missa dicatur, *Communicantes.*

Præterea intelligitur *communicatio* ejusdem fidei, religionis, & pietatis, in qua mortui sunt, qui nos præcesserunt Sancti; unde in Canone Missæ dicitur, *Communicantes*, id est manentes in communione ejusdem fidei, & pietatis, in qua defuncti sunt. &c.

Quomodo per Sacramenta fideles uniantur sibi invicem in Christo.

Quartò intelligitur *communio, seu unio omnium fidelium per Sacramenta:* quibus quasi nexibus sacris uniuntur fideles Christo, qui ut caput suis membris sua merita impertitur, ideoque Symbolum Nicænum addidit *Confiteor unum baptisma*; per baptisma enim velut per januam ingressi in Ecclesiam jus habemus omnes ad cætera Sacramenta, maximè verò ad Eucharistiam, qua *Christi concorporales facti*, cum ipso, ejusque membris fidelibus strictiori vinculo connectimur.

Quinam sint exclusi a communione Sanctorũ.

Nota a Communione Sanctorum, sicut

ſicut & ab Eccleſia excludi Paganos, Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos, & Excommunicatos.

Explicatur decimus articulus.

Remiſſionem peccatorum. Hoc articulo ſignificatur, Eccleſiæ Chriſtum dediſſe poteſtatem dimittendi omnia peccata maximè per Sacramenta, quæ ad hunc finem inſtituit.

Nota 1. Remiſſionem peccatorum Dei propriam eſſe; cùm enim peccata offendant ipſius infinitam majeſtatem, & Bonitatem, ipſius ſolius eſt illa condonare.

Nota 2. Poteſtatem dimittendi peccata, nulli ante incarnationem Verbi a Deo conceſſam fuiſſe.

Nota 3. Chriſtum, ut homo, & primum omnium hanc poteſtatem a Deo Patre accepiſſe.

Nota 4. Ipſum Chriſtum ſuis in Eccleſia Miniſtris, Epiſcopis nempe, & presbyteris conceſſiſſe hanc poteſtatem, ab ipſis exercendam, non propria authoritate, ſed vice & authoritate ipſius Chriſti.

Nota 5. In ſola Eccleſia Catholica dari, & accipi remiſſionem peccatorum, cùm illi ſoli claves regni cœlorum, & poteſtatem ligandi, ſolvendique conceſſerit Chriſtus.

Nota 6. Peccatum originale dimitti per baptiſmum cum iis omnibus

Fides Sacramentorũ implicitè continetur in hoc articulo, ſicut & in præcedenti. An ſolus Deus propria authoritate poſſit remittere peccata. An in veteri Teſtamento aliquibus conceſſerit Deus poteſtatem peccata dimittendi. An primo omniũ conceſſerit Chriſto ut homo eſt. An Chriſtus hanc poteſtatẽ communicaverit Eccleſiæ miniſtris. An ſoli Eccleſiæ Catholicę hæc poteſtas conceſſa.

bus quæ ipsum præcesserunt ; peccata verò actualia post baptismum commissa per Sacramentum pœnitentiæ, quamvis leviora & quotidiana extra ipsum per fidelium orationes, aliaque bona opera expiari, & dimitti possint.

Nota 7. Nullum esse peccatum quantumvis enorme, quod non possit ab Ecclesia remitti verè pœnitentibus, in hac mortali vita commorantibus.

Nota 8. Hanc potestatem Ecclesiæ ad dimittenda peccata, sicut nulli peccatorum generi alligatur, ita & nullo tempore circumscribi, sed ea uti posse ejus Ministros toties quoties ingemuerit peccator verè pœnitens, etiamsi multoties, & usque ad extremum vitæ peccasset.

Nota 9. Nomine remissionis peccatorum, de qua intelligendus est iste articulus, comprehendi omnia quæ ad justificationem pertinent, & præterea intelligi non culparum duntaxat, sed & pœnarum remissionem, effectusque omnes gratiæ Christi, ac denique plenam totius hominis ab omnibus pœnalitatibus redemptionem, quæ complebitur peracta resurrectione, & adepta æterna beatitudine.

Nota 10. In Baptismo remitti totam culpam, & totam pœnam, non verò pœnalitates, quales sunt concupiscentia, miseriæ, morbi, mors ipsa &c. in pœnitentia culpam dimitti,

Quonam Sacramento dimittatur peccatum originale. Quonam Sacramento peccata post baptismum commissa. An remitti possit quodcumque peccatū. An ad certū numerum peccatorū limitata sit hæc potestas. Fides gratiæ & justificationis continetur in hoc articulo. An totalis & plena fiat remissio in baptismo. An etiam in pœnitentia.

mitti, non verò semper pœnam, unde imponuntur in satisfactionem opera pœnalia, ut dicetur infrà, ubi de Baptismo, & Pœnitentia.

An in Ecclesia sit potestas concedi Indulgentias.

Nota 11. Pœnam peccatis debitam, dimissa per pœnitentiam culpa, posse remitti per Indulgentias, quarum concedendarum potestatem esse in Ecclesia definitum est in Conc. Trident. contra hæreticos. Porrò

Quid sit Indulgentia.

Indulgentia est *pœna, sublata jam culpa, remissio, a Prælato Ecclesiæ facta, per dispensationem thesauri Ecclesiæ.*

Quid plenaria. Quid partialis.

Alia est plenaria, qua est totius pœnæ remissio; alia partialis quæ tantùm alicujus partis illius remissio est; talis est v. g. Indulgentia septem annorum, quæ est remissio tantæ pœnæ, quanta remitteretur per pœnitentiam totidem annorum secundùm Canones antiquos pœnitentiæ, ac proinde est remissio totidem annorum pœnitentiæ peragendæ secundùm illos Canones: sic est dicendum de Indulgentiis, 30. 40. & 100. annorum & reliquis hujusmodi.

Quid sit Jubileus.

Jubileus est Indulgentia plenaria cui annexa sunt quædam privilegia quæ in Bulla Summi Pontificis exprimuntur.

An concedi possint Indulgentiæ animabus Purgatorii, & quomodo.

Nota 12. Indulgentias concedi vivis per modum *absolutonis*, quæ annexam habet solutiones ex thesauro Ecclesiæ; animabus verò defunctorum in purgatorio existentibus non per modum absolutionis, sed tantùm

tùm *solutionis*, *& suffragii* applicatur, oblatis scilicet pro illis, satisfactionibus Christi, & Sanctorum, ex quibus constat thesaurus Ecclesiæ; thesaurus ergo ille constat ex infinitis Christi satisfactionibus, & præterea ex satisfactionibus superabundantibus Sanctorum, ut inde honoretur virtus Christi in Sanctis, qua virtute bona opera exercuerunt, & ut inde stabiliatur Communio Sanctorum, seu inter Sanctos.

Ex quibus constet thesaurus Ecclesiæ.

An etiam ex satisfactionibus Sanctorũ.

Porrò thesaurus Ecclesiæ est *valor satisfactionum Christi*, *& Sanctorum permanens in acceptatione divina*, *& applicabilis membris vivis Ecclesiæ*.

Quid sit thesaurus Ecclesiæ.

Explicatur undecimus Articulus.

Carnis resurrectionem. Id est, credo omnes mortuos resurrecturos esse; resurrectio enim mortuorum fide tantùm potest certò cognosci, non ratione, licèt suaderi possit multis exemplis, similitudinibus, & congruis verisimilibusque rationibus. Harum prima petitur ex animarum immortalitate, & earum ad corpora inclinatione. Secunda ex justitia Dei, quæ bonis præmia, malis verò pœnas retribuere debet. Tertia ex eo quod salus & fœlicitas, quam Christus nobis meruit, non esset integra & perfecta, si anima remaneret separata a corpore. Quarta, ex

An mortuorum resurrectio ratione possit demonstrari.

An suaderi.

eo

eo quod corpora sint templa Spiritus sancti, & proinde ab ipso sint vivificanda vita immortali, quali corpus gloriosum Christi vivificatum est. Cur autem carnis potiùs quàm hominum resurrectio exprimatur hoc articulo, ratio est: primò quia, cùm anima immortalis sit, resurgere sicut & mori non potest, unde solum corpus propriè resurget. Secundò quia articulus ille intelligendus est de corporea resurrectione, non verò de spiritali, ut contendebant Hymenæus & Philetus, qui dicebant debere intelligi de resurrectione a morte peccati ad vitam spiritalem, sicque resurrectionem jam esse factam.

An anima sit mortalis.

An resurgere possit.

Quænam vera, quænam spiritalis resurrectio hominis.

Nota 1. Omnes homines resurrecturos esse cum eodem ac proprio corpore & quidem integro ac perfecto, id est, sine ullo defectu, sine ulla deformitate.

In quo corpore resurgemus.

Nota 2. Omnes resurrecturos in eadem ætate, ad quam Christus pervenit, *occurremus enim omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Hinc tamen non inferas nullam fore sexuum diversitatem post resurrectionem; quilibet enim in proprii sui sexus corpore resurget, deerit tamen confusio mutuæ visionis, quia aberit libido, unde oritur talis confusio, ut ait D. Thomas.

In qua ætate.

In quo sexu.

Nota 3. Variam fore resurgentium conditionem; nam licèt corpora bono-

An reproborum etiam corpora.

norum, & malorum futura sint immortalia, varia tamen erunt; *hi enim procedent in resurrectionem judicii, illi verò in resurrectionem vitæ. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ut ait Scriptura. futura sint immortalia.

Nota 4. Præter communem immortalitatem corpora Sanctorum habitura esse præclara ornamenta, quæ *dotes* a Theologis appellantur, quarum prima est *impassibilitas*, quæ dos efficiet, ne molesti aliquid pati, sive ullo dolore, & incommodo affici possint corpora beatorum. Secunda est *claritas*, qua dote corpora Sanctorum tanquam Sol fulgebunt; quæ claritas non una erit omnium; sicut nec erit unus beatitudinis gradus. Tertia est *agilitas*, qua dote corpora gloriosa ab omni pondere liberata, in quamcunque partem anima voluerit, celerrimè movebuntur. Quarta est *subtilitas*, qua dote corpus perfectè animæ imperio subjicietur, itaut corpora alia omnia facilè penetrare possit. Quot, & quænam dotes corporũ Sanctorum. Quid sit *impassibilitas*. Quid *claritas*. Quid sit *agilitas*. Quid *subtilitas*.

Explicatur duodecimus Articulus.

Vitam æternam. *Vitę aeternæ* nomine non magis intelligitur vitæ perpetuitas, cui etiam reprobi addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudo, quæ Sanctorum desiderium expleat; porrò beatitudo vocatur vita

Quare beatitudo dicatur vita æterna.

æterna, ne credatur posita esse in rebus corporeis & caducis, honoribus nempe, voluptatibus & divitiis, quæ res omnes hominis desiderium explere non possunt, sed in solo Deo cujus solius possessione beati esse possumus & hoc est contra Epicuræos, & alios Philosophos de hominis beatitudine malè sentientes.

An in solo Deo sit reposita beatitudo objectiva.

Nota 1. Quod etsi æterna beatitudo mentis captum superet, definiri tamen potest omnium malorum liberatione, & omnium bonorum possessione; unde dicitur a Theologis *status bonorum omnium aggregatione perfectus*, ideoque beatitudo illa erit æterna, & nunquam desitura, ut malè quidam arbitrati sunt.

Quid sit beatitudo.

Quid sit beatitudo formalis, & quotuplex.

Nota 2. Beatitudinem formalem consistere in possessione Dei, essentialem quidem in visione intuitiva illius, & quidem sola, juxta sententiam Divi Thomæ vel in visione & in amore fruitivo Dei, secundùm quosdam alios Theologos; accidentalem verò in gaudio, pace, honore, & immortalitate, cæterisque dotibus corporis, quæ omnia dicuntur beatitudinis essentialis *accessoria*.

Nota 3. Deum non posse videri oculis corporeis, & modo corporeo, estque de fide contra Anthropomorphitas.

An homo in hac mortali vita possit videre.

Nota 4. Deum ab homine mortalem vitam agente non posse de lege

lege ordinaria videri ut in se est; dicit enim ipsemet Deus in Scriptura, *non videbit me homo & vivet*. Si ergo Scriptura dicat Patriarchas quosdam & Prophetas vidisse Deum; dicendum est, illum vidisse non in propria specie, sed in specie creata & corporea, vel vidisse Angelos personam Dei gerentes. An autem Moyses in veteri Testamento, & Paulus ac Stephanus in novo viderint intuitivè essentiam Dei, affirmant quidam Theologi, negant alii.

An aliqui ipsum viderint.

Nota 5. Contra Begardos, & Beguinas, intellectum creatum visionem beatificam naturæ viribus consequi non posse, sed tantùm per auxilium speciale Dei, quod de lege ordinaria est *lumen gloriæ*, ut vocant Theologi; dicitur enim in Scriptura *in lumine tuo videbimus lumen*.

Quid sit lumen gloriæ.

Nota 6. Idque contra Armenos intellectum auxilio divino fretum, & lumine gloriæ illustratum videre intuitivè essentiam Dei, simul & tres Personas divinas, atque omnes perfectiones in Deo existentes, saltem formaliter. Præterea in essentia divina, vel per revelationes speciales beati vident multas res alias præter Deum, maximè verò eas, quæ speciali modo spectant ad ipsos, & conferunt ad beatitudinem eorum accidentalem; norunt, v. g. orationes, quæ ad ipsos diriguntur; & illud si non est de fide contra Calvinum, tamen certò tenendum est.

Quid in Deo videant beati.

An beati videant, quæ hic aguntur in terris.

An audiat preces nostras.

An posit ab intelligentia creata comprehendi. Nota 7. Deum non posse comprehendi a mente creata, nám *Deus est incomprehensibilis cogitatu*, ut ait Scriptura; idque est de fide contra Anomæos.

An animæ beatæ nüc videant Deum. Nota 8. Justorum animas plenè purgatas, Deum videre statim atque è corporibus egressæ sunt; hocque est contra Millenarios, qui dicebant Christum post resurrectionem communem, cum Sanctis in terra regnaturum mille annis, antequam ad cœlestem beatitudinem eos perducat; aliosque sentientes, animas non visuras Dei essentiam, nisi post resurrectionem corporum; estque de fide definitum in Concilio Florentino.

An omnes beati æqualiter Deum videant, & æqualiter sint beati. Nota 9. Sanctos in Cœlo non æquali modo videre Deum, nec æqualiter beatos esse, sed inæqualiter, pro inæqualitate meritorum, & luminis gloriæ; *in domo* enim *patris mansiones multa sunt*: & hoc est de fide contra Jovinianum, qui contendebat omnes Sanctos æqualiter beatos fore; neque enim ex parabola patris familias reddentis eundem denarium operariis, quorum alii aliis plus laboraverant, colligitur æqualitas beatitudinis formalis seu visionis, sed duntaxat inferendum est, eodem objecto beatifico omnes fruituros per totam æternitatem, quæ erit communis omnibus.

CATE-

CATECHISMI AD ORDINANDOS PARS SECUNDA.

SECTIO PRIMA

De Sacramentis.

Quid est Sacramentum?

SAcramentum novæ Legis est *signum sensibile a Christo Domino institutum, quod certis rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, a legitimo Ministro debitam intentionem habente perfectum, gratiæ efficiendæ vim habet.*

Explicatur hæc definitio.

Dicitur primò *signum*, quia significat gratiam quam efficit, & præsentem veluti demonstrat; unde respectu illius dicitur signum *demonstrativum*, sicut respectu Passionis prætetitæ Christi, a qua vim suam recipit, dicitur signum *rememorativum*; & respectu gloriæ futuræ ad quam nos perducit, dicitur signum *prognosticum*, *seu prænunciativum*. Signum aliud demonstrativū, aliud rememorativum, aliud prognosticū.

Nota 1. Quod Eucharistia non solùm gratiam præsentem demonstrat,

sed & authorem gratiæ, nempe Christum, quem realiter continet.

Signum aliud naturale, aliud ex instituto.

Nota 2. Quod Sacramentum sit signum ex institutione, *seu* ad placitum Dei non verò naturale, *seu* significans ex natura sua, quomodo fumus est signum naturale ignis.

Signum aliud speculativũ, aliud practicum.

Nota 3. Non esse signum merè speculativum quod significat tantùm, qualia sunt rosaria, imagines, cruces, vestes sacerdotales &c. sed esse signum practicum, *seu* efficax quod efficit id quod significat, nempe gratiam.

Sacramenta vetera aliquo sensu, erãt signa practica. Quid sanctitas legalis.

Nota 4. Quod Sacramenta veteris Legis erant signa speculativa tantùm sanctitatis propriè dictæ *seu gratiæ*, attamen erant signa practica sanctitatis impropriè dictæ, seu sanctitatis legalis per quam homines secundùm præscriptum Legis consecrabantur cultui divino.

Quid Sacramentũ generalissimè sumptum. Cur dicatur Sacramentum.

Nota 5. Quod Sacramentum in genere, prout convenit Sacramentis veteris & novæ Legis, sit *signum practicum rei sacræ*, signum nempe divinitus institutum & efficax rei sacræ Deo hominem consecrantis, seu sanctitatis, vel legalis, vel formalis; & hæc est propria acceptio Sacramenti, & inde dicitur *Sacramentum*.

Cur Sacramenta in rebus sensibilibus sint instituta.

Dicitur 2. *sensibile*. In rebus enim quæ sensibus percipi possunt institutum est, quia Sacramenta ab Ecclesiæ Ministris exterius, & manifestè administrari debent hominibus, qui constant non anima tantùm sed & corpore.

Dici-

Dicitur 3. *a Christo Domino* institutum. Definivit enim Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 1. omnia novæ Legis Sacramenta fuisse a Christo Domino instituta; & quidem fuisse ab ipso immediatè instituta, videtur esse mens Concilii; quando autem singula instituta sint, & unde hoc cognosci possit, dicetur postea, cùm tractabitur de singulis. De institutione Sacramentorum.

Nota 1. Quod solus Deus author Sacramentum, cùm solus Deus possit gratię conferēdę vim dare certis rebus & verbis, utpote qui solus sit author gratiæ. Quis author sit Sacramentorum.

Nota 2. Quod Christus Sacramenta instituerit, & quidem quatenus Deus potestate *authoritatis* quæ causæ principali competit, quatenus verò homo est, potestate *ministerii* principalis plena & absoluta, quæ *potestas excellentiæ* dicitur, & in his consistit 1. Quod meritum & virtus Christi in Sacramentis operetur; Sacramenta enim nobis applicant merita Passionis Christi 2. Quod in ejus nomine Sacramenta conficiatur, & conferantur; Ministri enim Sacramentorum gerunt personam Christi, & agunt in nomine ipsius, 3. Quod Christus quatenus homo Sacramenta non solùm potuerit instituere, sed etiam quod absque Sacramentis solo voluntatis imperio effectum Sacramentorum potuerit conferre. Quid potestas authoritatis. Quid potestas excellentiæ, & in quibus consistat.

Nota 3. Quod hanc potestatem instituendi Sacramenta Christus potuit

communicare Ecclesiæ, sed de facto non communicavit: Ecclesia igitur non potest instituere Sacramenta, sed duntaxat statuere & mutare, *salva eorum substantia*, quæ judicarit expedire, ut docet Concil. Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. attamen signa quædam instituit Ecclesia quæ *Sacramentalia* dicuntur, qualia sunt aqua benedicta, panis benedictus, aliæque benedictiones & consecrationes; at illa non conferunt gratiam ex opere operato, ut Sacramenta, sed ex opere operantis duntaxat; valentque imprimis ex institutione Ecclesiæ & virtute precum ipsius, ad remissionem peccatorum venialium obtinendam, in quantum impetrant a Deo gratias actuales, quibus excitati homines illa peccata detestentur.

Ecclesia non potest instituere Sacramenta, sed Sacramentalia. Quid sint Sacramentalia. Quomodo operetur.

Nota 4. Quod Baptismus Joannis non fuit verum sacramentum sicut Baptismus Christi; & hoc est de fide, ex Conc. Trident. *sess.* 7. *can.* 1. quia conferebat gratiam non ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, & valebat tantùm ad excitandos homines ad pœnitentiam.

An baptismus Joannis differebat a baptismo Christi.

Dicitur 4. *quod certis rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, a legitimo Ministro perfectum.* Docet enim Conc. Florentinum seu potius Eugenius IV. Summus Pontifex in Decreto ad Armenos, „ omnia Sacramenta tribus perfici, „ videlicet rebus tanquam materia, „ verbis tanquam forma, & perso-

De materia & forma Sacramentorū. Quibus perficiantur Sacramenta.

„ na

„ na Ministri conferentis sacramen-
„ tum cum intentione faciendi quod
„ facit Ecclesia; quorum si aliquid
„ desit, non perficitur Sacramentum.

Nota 1. Quod materia, & forma Sacramentorum sic dicuntur impropriè, & metaphoricè per comparationem cum materia, & forma physica; cum quibus in eo conveniunt, quod res sensibilis per verba determinetur, sicut materia per formam, & verba Sacramentum perficiant, sicut forma totum physicum perficit; v. g. in baptismo hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* determinant aquam ad significandam ablutionem.

Cur materia, & forma Sacramentorum sic dicantur.

Nota 2. Quod *materia* nomine non res tantùm, sed etiam actiones sensibiles intelliguntur, ut in Baptismo ablutio; in Confirmatione unctio; in Pœnitentiæ Sacramento actus pœnitentis, contritio nempe & confessio; & in Matrimonio consensus contrahentium verbo vel nutu expressus.

Quid per materiam intelligatur.

Nota 3. Quod in plerisque Sacramentis distinguitur duplex materia, ex qua constant, nempe remota & proxima; remota est ea circa quam actio sacramentalis exercetur, ut aqua in Baptismo; proxima verò est actio ipsa, quæ versatur circa materiam remotam, & est usus applicatioque illius; v. g. in Baptismo est ablutio per aquam, seu infusio illius.

Quotuplex materia.

Dixi *in plerisque*, quia sacramentum Eucharistiæ non constat ex ma-

An Eucaristia constet materia, & forma.

teria & forma, utpote quod non consistat in actione transeunte, ut cætera, sed in re permanente; attamen ad illud conficiendum requiruntur materia & forma, ut dicetur.

An verba sint concionatoria, vel consecratoria.

Nota 4. Per verba intelligi etiam nutus in Sacramento Matrimonii.

Nota 5. Verba quibus Sacramenta conficiuntur non esse concionatoria, seu per modum instructionis, sed consecratoria, seu per modum efficientiæ; & hoc de fide, & definitum a Conc. Trid. contra Calvinum & alios volentes, sacramenta esse instituta propter solam fidem nutriendam; quod falsum esse inde patet, quod infantes cum baptizentur, concionem & instructionem percipere non possint.

An Christus determinaverit materias, & formas omnium Sacramentorum, & an Ecclesia possit determinare aliquid in particulari. Quod essentiale in Sacramentis sit.

Nota 6. Quod materias & formas quorundam Sacramentorum a Christo in genere tantùm esse determinatas, earum verò determinationem in specie authoritati Ecclesiæ, & ejus prudentiæ fuisse commissam, probabilis est plurium Theologorum opinio. Censent igitur illi ita esse institutum sacramentum Ordinis, v. g. ut consecratio Ministrorum fieret aliquibus verbis, & Symbolis externis, quibus satis significaretur ministerium ad quod ordinarentur; ut autem hæc potius quàm illa Symbola & verba adhiberentur, in arbitrio Ecclesiæ reliquisse. Hinc facilè conciliantur ordinationes Græco-

rum,

rum, cum Latinorum ordinationibus, immò & antiquæ Latinorum, cum nostris hujusce temporis; idem dicendum est de matrimonio, & perspicuum est; a Christo quippe institutus est contractus legitimus pro materia hujus sacramenti, sed quia contractus legitima ratio pendet a Legibus Principum, & consuetudinibus regionum, Ecclesiæ potestati reliquit determinationem conditionum legitimi contractus, quibus positis ad sacramenti dignitatem evehatur; sic ante Conc. Trid. matrimonia clandestina rata erant, etsi illicita, sed deinceps ejusdem Concilii decreto irrita declarata sunt.

An Ecclesia potuerit invalidare matrimonia clandestina.

Nota 7. Quod materia & forma debent conjungi secundùm moralem existimationem; quæ existimatio exigit breviorem moram temporis in cæteris sacramentis, quàm in Pœnitentia, & in Matrimonio.

An materia & forma debeãt conjungi.

Nota 8. Quod non licet mutare materiam & formam sacramentorum substantialiter seu essentialiter, vel etiam accidentaliter; sed observa præterea, quod, cùm mutatio materiæ vel formæ est substantialis, nullum est Sacramentum, cùm verò mutatio est tantùm accidentalis, efficitur quidem verè & validè sacramentum, sed illicitè, peccatque lethaliter minister, præsertim si mutatio sit in re magni momenti, nisi necessitas aut alia causa legitima excuset.

De mutatione materiæ, & formæ.

Mutatio autem materiæ essentialis

Quid sit essentialis & accidẽtalis mutatio materiæ.

 & sub-

& substantialis est ea, *quæ tanta est, ut juxta communem usum, & existimationem hominum prorsus discrepet a materia usitata, & a Christo præscripta*; alioquin est accidentalis. Sic materia mutatur substantialiter, si aqua artificialis, rosacea, v. g. vel alius liquor adhibetur ad Baptismum conficiendum., vel etiam aqua naturalis congelata, ut sic enim non est apta ad abluendum; si acetum, vel panis hordeaceus, vel farinæ massa non cocta, ad Eucharistiam. Mutatur verò accidentaliter, si sal, vel cinis, vel aliquid in parva quantitate in aquam baptismalem immisceatur; unde validè potest conferri Baptismus aqua maris, vel lixivio; similiter si fermentum immisceatur farinæ, panisque fermentatus adhibeatur ad Eucharistiam conficiendam, hæc omnia amplius explicabuntur in tractatu de Baptismo, & de Eucharistia.

Quid sit mutatio essentialis & accidentalis formæ.

Mutatio formæ seu verborum essentialis, *est ea, quæ tanta est, ut idem sensus verborum non maneat*; alioquin est accidentalis. Adeoque mutatur forma substantialiter, v. g. si quis baptizans diceret: *Ego te baptizo in nomine Dei*, vel *Trinitatis*, *vel in nominibus Patris & Filii*, & *Spiritus sancti*, *vel in nomine Matris*, *&c.* aut si Sacerdos consecrans diceret, *Est Corpus meum*; vel *hoc est Corpus Christi*: mutatur verò accidentaliter, si lingua vernacula, vel extranea,

tranea, verba proferantur, vel si verba synonima usurpentur, ut *abluo* loco *baptizo*, *remitto* loco *absolvo*, vel denique, si ex ignorantia Linguæ Latinæ verba paululum corrumpantur, retentò eodem semper sensu, ex intentione baptizantis, & accommodatione usus, ut si quis diceret. *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*, sic definivit Zacharias Papa; aliter est sentiendum, si quis de industria verba corrumperet; & si diceret in nominæ Patriæ, & Filiæ, &c.

Observa transpositionem, interruptionem, vel corruptionem verborum; omissionem, vel additionem aliquorum aliquando substantialem, si sensus mutetur, aliquando verò accidentalem tantùm mutationem inferre, si non mutetur sensus formæ.

An liceat uti materia vel forma dubia.

Observa 2. Illum peccare lethaliter qui materia vel forma dubia utitur, cùm certam habere potest; nam se exponit periculo sacrilegii committendi, seu irritum sacramentum faciendi: secus verò dicendum, si certam habere non possit, ac gravis urgeat necessitas sacramenti conficiendi, vel administrandi.

De Ministro Sacramentorũ.

Dicitur 5. *a legitimo Ministro*, certos esse sacramentorum Ministros, dogma est fidei contra Lutherum, qui Christianos omnes esse æqualiter Sacerdotes, sive eandem in verbo, & in omnibus sacramentis habere potestatem asseruit, cujus error condemna-

demnatus est a Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 10.

An Angeli sint Ministri sacramentorum.

Nota 1. Solos homines, non verò Angelos a Christo fuisse constitutos sacramentorum Ministros; & quidem convenienter, cùm sacramenta instituta sint a Christo, qui est homo, & administrari debeant hominibus.

Nota 2. Laicos omnes sive masculos, sive fœminas esse Ministros Baptismi in casu necessitatis; deinde ipsos contrahentes, etiam esse Ministros Sacramenti matrimonii, juxta communem Theologorum sententiam.

An ab infidelibus vel peccatoribus possint validè administrari sacramenta.

Nota 3. Esse dogma fidei, quod virtus, & efficacia sacramentorum non pendeat ex fide & probitate Ministrorum, adeoque ab hæreticis, Schismaticis, & impiis hominibus administrata, nihilominus valida esse, modò materia & forma cum debita intentione adhibeantur, & hoc contra Donatistas rebaptizantes eos, qui extra Ecclesiam suam baptizati fuerant, & contra Vviclefum, cujus error condemnatus est in Concilio Florentino, & deinde in Tridentino *sess.* 7. *can.* 7. An verò hæretici & schismatici possint administrare sacramentum Pœnitentiæ, & quandonam possint, dicetur infra, cùm agetur de Pœnitentia.

An a malis Ministris liceat petere, vel accipere sacramenta.

Nota 4. Quod a malis Ministris, quamdiu ab Ecclesia tolerati sunt, recipere licet sacramenta, immò & petere si sint Parochi proprii, etiam extra casum necessitatis; alioquin extra.

tra hunc casum, si non sint Parochi, vel non sint parati ad ministrandum, ab ipsis petere non licet; at in extrema necessitate licet petere, & accipere Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ etiam ab Excommunicatis vitandis & non toleratis, licèt Hæreticis & Schismaticis.

Nota 5. Quod Ministri conficientes & administrantes, etiam ex officio, sacramenta in statu peccati mortalis, mortaliter peccant, nisi vera & perfecta contritione cum proposito sacramentalis Confessionis, quamprimum faciendæ, prius expient peccata, quorum conscientiam habent. An possint licitè confici vel administrari sacramēta a Ministris existentibus in peccato mortali.

Observa tamen, quod Sacerdos in peccato mortali existens non peccet, si administret Baptismum privatim, & ut laicus in casu necessitatis; sic enim non agit ex officio.

Nota 6. Quod probabilissimè doceant Theologi cum D. Thoma Diaconos, & Subdiaconos, Ordinum suorum functiones in statu peccati mortalis solemniter, & ex officio obeuntes, lethaliter peccare, quia se exhibent ut Ecclesiæ Ministri, & quia ex officio vasa sacra tangunt. An Diaconi, & Subdiaconi peccēt, si in peccato mortali deserviant altari.

Idem dic de concionantibus ex officio, si notoriè sint peccatores.

Dicitur 6. *debitam intentionem habente*; dogma enim fidei est, ut valida sint Sacramenta, requiri veram & sinceram intentionem faciendi quod facit Ecclesia; hocque definitum est in Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 11. contra. De intentione. An requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia.

tra Lutherum, & Calvinum dicentes sacramenta per jocum, & non seriò administrata, esse nihilominus valida.

An requiratur intentio conferēdi gratiam.

Nota 1. Quod non requiritur intentio producendi effectum sacramenti, vel agendi propter finem, propter quem agit Ecclesia; alioquin Baptismus collatus ab hæreticis, vel Paganis irritus esset; sed requiritur solùm intentio faciendi id quod facit Ecclesia Christi, quæcunque illa sit, sive Romana, sive alia; unde Hæretici, falsò licèt putantes suam Ecclesiam esse veram Ecclesiam Christi, nihilominus validè Baptizant, si debitam materiam & formam adhibeant cum intentione faciendi quod facit Ecclesia Christi.

An implicita intentio sufficiat.

Nota 2. Quod intentio implicita faciendi quod facit Ecclesia sufficiat: v. g. Si quis intendat fungi officio suo.

An requiratur intentio interior.

Nota 3. Licèt de fide sit, quod requiratur intentio interior ex parte actus, nempe actus voluntatis internus deliberatus, & serius faciendi quod facit Ecclesia, non esse tamen de fide, quod requiratur intentio interior ex parte objecti; multi enim Theologi asserunt sufficere intentionem exteriorem ex parte objecti, seu intentionem quæ tantùm respiciat ritum externum institutum a Christo, materialiter scilicet considератum, non verò formaliter, id est, quatenus ab ipso institutum, & quatenus sacrum.

Nota

Nota 4. Quod, ut ratum ſit Sacramentum, non ſufficit intentio habitualis, neque neceſſaria eſt actualis, licèt ſit ſtudioſè procuranda; ſed ſufficit virtualis. Quænam debeat eſſe intẽtio.

Intentio habitualis eſt *prompta facilitas operandi ex habitu procedens, ſine ulla cogitatione, atque voluntate precedente, & nullatenus in actionem influente*, qualis ſolet eſſe in dormientibus & in ebriis. Quid ſit intentio habitualis

Actualis *eſt præſens animi applicatio, & attentio ad opus, quod deliberatè agitur.* Quid actualis.

Virtualis *eſt ea, quæ procedens ex actuali intentione precedente, nec per contrariam intentionem, aut notabilis temporis moram interrupta, in opere perſeverat.* Quid virtualis.

Nota 5. Intentionem requiſitam ad validitatem ſacramenti oportere abſolutam eſſe, & non conditionatam de futuro; quia hæc intentio, quæ conditionem de futuro apponit, ſuſpendit effectum ſacramenti, ſeu potius ſacramentum ipſum; & proinde nullum eſt ſacramentum. An intentio ſub conditione de futuro ſufficiat.

Excipe tamen matrimonium, quod, quia retinet rationem contractus, poteſt iniri ſub conditione de futuro; qua completa tranſit in abſolutum, & tunc eſt verum ſacramentum.

Obſerva conditiones de præterito, vel de præſenti appoſitas intentioni, non reddere invalida Sacra-

Quid fiat, si conditio de præsenti vel de præterito apponatur

cramenta, sed illicita, nisi legitima causa interveniat.

De primo & principali effectu sacramentorum; nempe gratia.

Dicitur 7. *gratiæ efficiendæ vim habet*; dogma enim fidei est, sacramenta novæ Legis, continere gratiam quam significant, ipsamque non ponentibus obicem conferre ex opere operato, & hoc contra hæreticos recentiores, dicentes, sacramenta esse tantùm signa externa acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ; & esse notas Christianæ professionis quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; deinde non dari gratiam per sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiantur, sed aliquando, & aliquibus; denique per sacramenta non conferri ex opere operato gratiam, sed ad consequendam gratiam, solam fidem divinæ promissionis sufficere: ipsaque sacramenta novæ Legis, a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ aliæ sunt, & alii ritus externi: qui omnes errores anathemate percussi sunt a Concilio Trident. *sess. 7. can.* 6. 7. 8.

Quid novi Hæretici sentiant de sacramentis.

Quomodo novæ Legis sacramenta differant a Sacramentis antiquæ Legis.

Nota 1. Ex his quod sacramenta novæ Legis non solùm conferunt gratiam ex opere operantis, ut sacramenta veteris; sed & præterea conferunt eam ex opere operato: & in hoc præcipuè differunt ab ipsis; nam differunt præterea in eo, quod sint a Christo instituta, vetera ve-

rò

rò a Deo, promulgante Moyse, & quod constent rebus & verbis, vetera verò rebus tantùm, & nón verbis determinatis constarent.

Nota 2. Quod cùm dicitur Sacramenta conferre gratiam ex opere operantis, intelligendum est, conferre gratiam ex vi meriti, seu operis interni meritorii, tum Ministrorum, tum suscipientium ipsa, v. g. fidei, charitatis, devotionis, aliarumque dispositionum.

Quid est conferre gratiam ex opere operantis.

Conferre verò gratiam *ex opere operato*, idem est, ac eam conferre ex vi operis externi exerciti, prout a Christo instituti, ejusque merita applicantis, independenter a dispositionibus, & meritis Ministrorum, & suscipientium.

Quid ex opere operato.

Observa illud nomen *opus operatum* in significatione passiva licèt barbarum, usu Ecclesiæ esse consecratum ad explicandum dogma fidei, quod ex Scriptura, & traditione habetur; & proinde non rejiciendum, ut volunt hæretici.

An illud nomen *opus operatum* ritè ab Ecclesia usurpatum.

Nota 3. Quod licèt in suscipientibus requirantur dispositiones: attamen illæ non habent efficaciam circa gratiam a sacramentis productam, sed requiruntur tantùm, ut subjectum seu suscipiens sacramenta, possit recipere gratiam producendam ab ipsis: uno verbo requiruntur, ut removeatur obex qui impediret quominus sacramenta gratiam producerent.

Quid conferant dispositiones ad productionem gratiæ sacramentorum.

Nota

An ſacramenta producat phyſicè gratiam.

Nota 4. Non eſſe dogma fidei, quod ſacramenta phyſicè gratiam producant; multi enim Theologi volunt ea ipſam producere moraliter tantùm, id eſt, determinare Deum infallibiliter ad illam phyſicè producendam.

An ſacramenta æqualem gratiam producat.

Nota 5. Quod omnia Sacramenta non æqualem gratiam producant; diverſa enim diverſam & inæqualem, & digniora uberiorem, immò & idem ſacramentum majorem gratiam in melius diſpoſitis, quàm in aliis, non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato producit.

Quotuplicis generis gratiam conferant Sacramenta.

Nota 6. Quod nomine gratiæ, quam conferunt ſacramenta, intelligitur gratia, tum habitualis, tum actualis, quæ propriè ſacramentalis dicitur, & unicuique ſacramento propria eſt utpote conducens ad finem unius cujuſque proprium; gratia ſacramentalis Baptiſmi v. g. datur ad chriſtianè vivendum; Confirmationis ad liberè profitendam fidem; Euchariſtiæ ad perſeverandum in charitate Chriſti; Pœnitentiæ ad ſatisfaciendum pro peccatis præteritis, & ad futura præcavenda & evitanda; Extremæ Unctionis ad abſtergendas reliquias peccatorum, & ad vincendas tentationes occurrentes in periculo mortis; Ordinis ad ritè munera obeunda; Matrimonii ad ſuſtinenda illius onera.

Nota 7. Sacramenta Baptiſmi &

Pœ-

Pœnitentiæ, per se conferre peccatoribus gratiam habitualem primam, & ad hoc instituta esse: unde dicuntur sacramenta *mortuorum*, seu in peccato mortali existentium; cætera verò secundam gratiam, seu argumentum primæ; quæ jam præexistit; unde dicuntur Sacramenta *vivorum*, seu justorum. Quænam sacramenta gratiam primam, quænam secundam producant.

Dixi *per se*; nam *per accidens* aliquando contingit Baptismum, & Pœnitentiam, secundam gratiam conferre, quando perfecta contritione justificatus est peccator, habetque jam gratiam habitualem; contingit etiam, cætera sacramenta vivorum, primam gratiam conferre; v. g. quando quis bona fide putans se esse sufficienter contritum, cùm tamen non sit, percipit Eucharistiam: sic sentit D. Thomas 3. *parte q. 70. art. 3.* An sacramenta mortuorũ secundam aliquando, & sacramenta vivorum primam producant.

Nota 8. Cum gratia habituali infundi charitatem, habitus supernaturales, tum theologicos, tum morales, & dona Spiritu sancti; vel augumentum eorum, ut dictum est in Tractatu de gratia. An simul cum gratia infundantur habitus, & dona.

Nota 9. Gratias actuales sacramentales non conferri semper in receptione sacramentorum, sed cùm deinceps necessariæ sunt ad finem illorum consequendum: at conferri, cùm debitè recipiuntur sacramenta, jus ad illas habendas, cùm iis imposterum opus fuerit; quænam autem sint gratiæ sacramentales cujuslibet sacra- Quandonam conferantur gratiæ sacramentales.

cra-

cramenti, magis explicabitur, cùm agetur de singulis sacramentis.

De suscipientibus, & eorum dispositionibus.

Nota 10. Quod in adultis suscipientibus sacramenta, requiruntur dispositiones, tum ut valida sint, tum ut conferant gratiam; carentia

Quotuplex fictio.

verò illarum, dicitur *fictio*, quæ duplex est, prima est carentia consensus, & opponitur validitati sacramentorum, altera est carentia internæ dispositionis requisitæ ad effectum principalem ipsorum, nempe gratiam: & hæc opponitur illi principali effectui.

An intentio requiratur in suscipientibus, & qualis illa, ac in quibus.

Ad valorem igitur sacramentorum susceptorum, si excipias Eucharistiam, requiritur in suscipientibus adultis consensus, seu intentio actualis, vel virtualis; ac interpretativa intentio sufficit in sacramento Extremæ Unctionis, respectu verò Baptismi, Ordinis, & matrimonii per procuratorem initi, virtualis intentio, licèt longo tempore interrupta sufficit.

Quorum sacramentorum pueri sint capaces.

Dixi *in adultis*; nam in pueris, utpote rationis expertibus, nullæ dispositiones requiruntur, suntque illi capaces Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis; non verò Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis, quia peccata actualia non commiserunt, & eliciendæ contritionis sunt incapaces, ac matrimonii, quia contrahere non possunt.

An requiratur fides, & sanctitas in suspicientibus

Observa, quod, ad valorem Sacramentorum, non requiritur fides, san-

sanctitas, aut alia pia dispositio; si excipias sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiruntur fides, & aliæ dispositiones ad justificationem, & imprimis contritio, quæ est quasi materia ipsius. Ut autem conferant gratiam, non requiritur sanctitas, & status gratię in suscipientibus sacramenta mortuorum, Batismum nempe & Pœnitentiam: sed in suscipientibus cætera, quæ dicuntur vivorum, ordinariè requiritur, ut dictum est adnotatione septima.

Quid requiratur ad recipiendum caracterē.

Nota 11. Quod, ad caracterem nulla alia opus est dispositione, quàm ea quæ ad valorem sacramenti requiritur, nempe consensu; atque adeo, qui sacramenta caracterem imprimentia suscipit sine debitis dispositionibus ad gratiam requisitis, sive cum fictione opposita huic effectui, nempe gratiæ; caracterem quidem recipit, non verò gratiam: & hoc constat ex authoritate, & praxi Ecclesiæ, quæ illa sacramenca fictè recepta, iteranda nunquam censuit.

An recedente fictione sacramenta gratiam producāt.

Nota 12. Quod remota per Pœnitentiam illa fictione, gratia sacramentalis suscitatur, seu de novo producitur, in eo, qui fictè sacramentum suscepit; idque fit virtute caracteris in anima impressi; de Baptismo certum est, & idem verisimiliter dicendum est de Confirmatione, & Ordine; non verò de aliis, quæ caracterem non imprimunt.

De secundario effectu sacramentorũ, nempe caractere.

Nota igitur denique, quod præter gratiam, quæ est effectus omnium sacramentorum, alter est effectus trium, Baptismi scilicet, Confirmationis, & Ordinis, nempe caracter; dogma est enim fidei definitum in Concilio Tridentino *sess.* 7. in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine imprimi caracterem in anima, hoc est signum quoddam spiritale & indelebile, unde ea iterari non possunt.

Quot Sacramenta imprimãt caracterẽ.

Quid est caracter?

Est *qualitas spiritualis, supernaturalis, & indelebils, impressa in anima, qua homo consignatur Christo, ac distinguitur ab aliis, & qua redditur capax ad ea peragenda, quæ spectant cultum divinum.*

An caracter sit qualitas.

Dicitur 1. *qualitas*, sive sit vera qualitas, sive quid simile; nam de hoc disputant Theologi: constat autem esse quid impressum, & permanens in anima.

Dicitur 2. *spiritalis*, quia inhæret animæ, quæ spiritalis est.

Dicitur 3. *supernaturalis*, quia divinitus imprimitur animæ.

Dicitur 4. *in anima*, quidam tamen volunt Theologi, in potentiis ipsius animæ imprimi caracterem.

An caracter etiã post mortem remaneat.

Dicitur 5. *indelebilis*, quia nec in præsenti in vita ullo modo potest deleri, nec in futura, unde in Sanctis re-

remanebit ad ornatum, in damnatis verò ad majorem ignominiam.

Dicitur 6. *qua homo*; Angeli enim de lege ordinaria non sunt capaces ulius caracteris recipiendi, sicut nec mulieres sunt capaces caracteris Ordinis. An Angeli, an mulieres sint capaces caracteris.

Dicitur 7. *consignatur Christo*; caractere enim insigniti Christo configurantur, similioresque ipsi fiunt, quàm alii: en primus effectus caracteris. Primus effectus caracteris.

Dicitur 8. *& distinguitur ab aliis*, nempe caractere non insignitis; unde per totam æternitatem baptizatus a non baptizato distinguetur, confirmatus a non confirmato, ordinatus a non ordinato; en secundus effectus caracteris. Secundus effectus.

Dicitur 9. *& qua redditur capax ad ea peragenda, quæ spectant cultum divinum*, en tertius effectus, nempe potestas spiritalis, ea peragendi, quę cultum divinum spectant, quæ quidem potestas, vel est passiva, ut in Baptismo, quo homo redditur capax ad alia omnia sacramenta validè suscipienda; nam est janua omnium sacramentorum: vel activa, ut in ordine, quo homo fit capax ad sacramenta conficienda, & administranda; vel partim passiva, & partim activa, qua homo melius disponitur ad alia sacramenta suscipienda, & ad profitendam fidem, ut in Confirmatione. Tertius effectus. Quænam potestas in caractere.

Quot sunt sacramenta?

De numero sacramentorũ. Sunt septem; nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Unde habeatur esse septem sacramenta. Hic septenarius sacramentorum numerus colligitur, & ex Scriptura, & ex traditione, atque tanquam de fide definitus est in Concilio Florentino, & in Tridentino, contra Hæreticos admittentes tantùm duo, vel etiam tria Sacramenta, nempe Baptismum, Cœnam, & Ordinem.

Cur sacramenta sint septem. Ratio verò cur sint septem, nec plura, nec pauciora, tota pendet ex voluntate Christi ipsa instituentis; attamen rationes congruentiæ afferuntur a Theologis, quarum, hæc est præcipua; sunt septem sacramenta quia septem rebus, ut vita naturalis, ita & vita Christiana indiget. Necesse est ergo. 1. Ut homo spiritualiter nascatur; & ad hoc indiget Baptismo. 2. Ut augeatur; & ad hoc indiget Confirmatione. 3. Ut alatur; & ad hoc indiget Eucharistia. 4. Ut si in morbum spiritalem incidat, sanetur; & ad hoc indiget Pœnitentia. 5. Ut imbecillitas virium reficiatur, & ad hoc indiget Extrema Unctione. 6. Ut Magistratus spiritales nunquam desint, quorum authoritate regatur Ecclesia, & sacra ministeria exerceantur;

& ad hoc necessarius est Ordo. 7. Ut homines ad Dei cultum, & ad humani generis conservationem procreentur, atque religiosè educentur; & ad hoc necessarium est Matrimonium.

Nota 1. Ex his, lotionem pedum, non esse verum Sacramentum, cùm non sit instituta ad conferendam gratiam ex opere operato; sed duntaxat ad exercitium humilitatis, & charitatis, & in signum emundationis a peccatis levioribus per bona opera procurandæ.

An lotio pedum sit sacramentum.

Nota 2. Professionem Monasticam non esse verum sacramentum, cùm non sit instituta a Christo, nec gratiam conferat ex opere operato; sed duntaxat ratione pietatis, & fidelitatis in votis adimplendis.

An Professio sit sacramentũ.

Nota 3. Quod licèt sint septem Ordines, non sunt tamen plura sacramenta quàm septem, quia omnes Ordines referuntur ad Sacerdotium, in quo est plenitudo Sacramenti Ordinis; vel quia omnes continentur sub uno genere, nempe Ordine, tanquam partes subjectivæ illius, & species, ut dicetur postea.

An sint plura sacramenta quàm septem, si omnes Ordines sint sacramenta.

Nota 4. Dogma esse fidei, quod septem sacramenta non ita sint inter se paria, ut nulla ratione aliud alio sit dignius, hocque definitum est in Concilio Trid. *sess.* 7. *can.* 3.

De dignitate sacramentorũ.

Eucharistia igitur est excellentissimum omnium sacramentorum, utpote Christum substantialiter conti-

Quodnam Sacramentum præstet cæteris ratione dignitatis.

nens, cætera verò ad ipsam referuntur hoc ordine. 1. Sacramentum Ordinis. 2. Baptismus. 3. Confirmatio. 4. Pœnitentia. 5. Extrema Unctio. 6. Matrimonium, quod significat unionem Christi cum Ecclesia.

Quænam præstent ratione necessitatis.

Observa Baptismum, & deinde Pœnitentiam, ratione necessitatis præstare cæteris.

De necessitate sacramentorum.

Nota 5. Dogma esse fidei authoritate Conc. Trid. firmatum, quod sacramenta novæ Legis sint ad salutem necessaria, itaut sine illis aut eorum voto justificari non possimus; licèt omnia singulis non sint necessaria. Ita *Conc. sess. 7. can. 4.*

Qua necessitate Baptisma, & Pœnitentia sint necessaria.

Sacramenta igitur Baptismi, & Pœnitentiæ necessaria sunt singulis, non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; itaut sine ipsis, vel saltem eorum voto, seu eorum desiderio juncto debitis dispositionibus, nemo gratiam regenerationis vel consequi, vel perditam recuperare possit.

Qua necessitate cætera.

Alia verò sacramenta, quæ dicuntur vivorum, necessaria sunt tantùm necessitate præcepti affirmativi, obligantis in certis duntaxat circumstantiis.

An singulis necessaria sint Ordo, & Matrimonium.

Ordo, & Matrimonium licèt Ecclesiæ sint necessaria, non tamen singulis ex Ecclesia; nam singulos homines Matrimonio jungi aut Ordinibus initiari non est necesse.

Nota 6. In statu innocentiæ qui bre-

brevissimè duravit, nulla fuisse sacramenta; an autem si durasset, fuissent aliqua, incertum. Post peccatum, & in Lege naturæ quædam fuerunt, utpote necessaria, ut per ea sanctificarentur homines: cùm autem nemo nisi per Christum sanctificari possit certum est, fuisse quædam signa, quibus homines suam fidem protestarentur de futuro adventu Salvatoris; quænam verò essent illa signa, incertum est. Verùm in Lege scripta fuerunt Sacramenta instituta & determinata a Deo, & promulgata a Moyse; inter quæ præcipua sunt, Circumcisio, Panis azymus, Agnus Paschalis, Purificationes variæ ab immunditiis, & expiationes a peccatis, atque Sacerdotum & Ministrorum consecrationes; circumcisio tamen ante Legem Mosaicam jam præcepta fuerat a Deo Abrahamo pro tota ejus posteritate.

An in statu innocentiæ fuerint, vel fuissent sacramēta. An in Lege naturæ.

An fuerit in Lege scripta, & Mosaica, & quænam illa.

Observa tamen, quod illa Sacramenta non auferebant immunditiam culpæ peccatorum, sed duntaxat immunditiam legalem qua Judæi tanquam prophani a cultu divino arcebantur, ut dictum est supra.

Quam immunditiā tollebant Sacramēta vetera, & quid immunditia legalis.

An verò Circumcisio conferret gratiam, & tolleret tunc temporis peccatum originale ex opere operato, disputant utrimque Theologi; constat tamen inter ipsos, tum in Lege naturæ, tum in Lege scripta fuisse aliquod remedium, pro peccato

An Circumcisio contulerit gratiā ex opere operato.

Quodnam erat remedium Legis naturæ contra peccatum originale.

cato originali tollendo, quod operabatur independenter a dispositionibus, tum suscipientium, tum ministrorum; quodnam autem illud fuerit, ignotum est; constat tamen fuisse protestationem externam fidei in Redemptorem venturum, qualiscumque illa fuerit.

DE CŒREMONIIS.

Quid est Cœremonia?

Est *ritus religiosus*, *& externus*, *vel a Christo*, *vel ab Apostolis*, *vel ab Ecclesia institutus*, *quo vel sacrificium decentius & solemnius peragatur*, *vel sacramentum devotius*, *& sanctius administretur*.

Quotuplicis generis sint cœremoniæ, & a quibus institutę.

Nota 1. Cœremonias, alias esse intrinsecas, & pertinentes ad essentiam sacrificii, & sacramentorum; & sunt illæ, quæ institutæ sunt a Christo, ac proinde ab Ecclesia mutari non possunt; alias verò esse extrinsecas; & sunt illæ, quæ ab Ecclesia institutæ sunt, & quæ proinde mutari possunt ab ipsa.

An usus cœremoniarum sit legitimus. Quinam illarum fines.

Nota 2. Usum cœremoniarum ab Ecclesia institutarum, esse laudabilem, & utilissimum, ob finem, propter quem adhibentur. Adhibentur enim 1. Ad majorem venerationem conciliandam sacrificio, & sacramentis. 2. Ad effectus eorum declarandos. 3. Ad mentem in rerum spiritalium contemplatione, erigendam,

dam, fidemque, & charitatem excitandas.

Nota 3. Dogma esse fidei, in Concilio Trid. *sess.* 7. *can.* 13. firmatum, quod recepti, & approbati Ecclesiæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, aut a Ministris pro libitu omitti aut in novos alios, per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari non possint sine peccato.

An cœremoniæ sint de præcepto, & an omitti possint.

Nota 4. Quasdam cœremonias, in Baptismo, & sacrificio adhiberi solitas, esse antiquissimas, ut testantur Sanctus Augustinus & alii Patres; ut sunt exorcismus, insufflationes, crucis signum, sal, unctiones, abrenuntiatio diabolo, trina immersio, vel infusio aquæ in Baptismo; in Eucharistia verò, hæc verba *sursum corda*, *habemus ad Dominum*, *gratias agamus Domino*, *dignum est*, *justum est*; deinde mentio Angelorum, posteà *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Saboth*; orationes pro Regibus, & tota Ecclesia, commemoratio mortuorum, oratio Dominica.

An cœremoniæ sint antiquæ, & quænā.

PARAGRAPHUS I.

De Baptiſmo.

Quid eſt Baptiſmus?

EST *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Sic Catechiſmus Romanus, ex Scriptura definit Baptiſmum, vel alio modo definitur, *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quo per ablutionem exteriorem corporis, aqua naturali factam, ſub præſcripta verborum forma, homo ſpiritaliter regeneratur*.

Unde habeatur Baptiſmum eſſe ſacramentum.

Dicitur 1. *Sacramentum*. Eſt de fide, & habetur ex Scriptura, Matthæi 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Joannis 3. cap. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Habetur ex traditione, & eſt definitum a Conc. Tridentino.

Quotuplex Baptiſmus.

Nota 1. Quod vulgò tripliciter diſtinguitur Baptiſmus a Theologis; Baptiſmus fluminis, ſeu aquæ; Baptiſmus flaminis ſeu deſiderii, qui eſt vera cordis contritio, includens votum Baptiſmi aquæ; & Baptiſmus ſanguinis, ſeu martyrium, quod morte pro Chriſto perpeſſa, ante ſuſceptum Baptiſmum, conſummatum eſt:

ex

ex his tribus, solus Baptismus aquae est Sacramentum, alii verò non sunt Sacramenta, cùm non sint signa visibilia instituta a Deo, deinde non imprimant caracterem, denique non excludant necessitatem Baptismi aquę, si haberi possit; non sunt ergo Baptismata, nisi metaphoricè, in quantum possunt supplere vicem veri Baptismi, nempe Baptismi aquae, cujus votum saltem virtuale includunt, eundemque, ac ipse, effectum, habent, nempe regenerationem spiritalem, & remissionem omnis peccati, sive originalis, sive actualis, si quod sit, tàm quoad culpam, quàm quoad pœnam; observa tamen, quod Baptismo flaminis non semper tota pœna remittitur.

Nota 2. Martyrium pro Christo toleratum, etiam in infantibus, gratiam operari infallibiliter, propter hanc Christi promissionem; *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; & hoc constat ex mente Ecclesiae festum SS. Innocentium celebrantis.

An martyrium ex se gratiam conferat.

Dicitur 2. *a Christo Domino institutum*. Constat Baptismum ante Christi mortem fuisse institutum, ita tamen, ut a Passione, quae omnium Christi actionum finis, & complementum fuit, vim & efficaciam omnem hauserit. Probatur ex Joannis 3. cap. ubi legitur, Discipulos Christi baptizasse, Baptismo scilicet Christi, non Joannis. Existimat D.

De institutione Baptismi. Quando nam fuit institutus. An Discipuli Christi ab ipso sint baptizati.

Augustinus Discipulos ipsos a Christo fuisse baptizatos. An autem Christus instituerit Baptismum, cùm a Joanne baptizatus est, asserit D. Thomas, negant verò alii Theologi dicentes; tunc tantùm Baptismum fuisse adumbratum, & designatum; at fuisse institutum cùm dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit*, *&c.* *Joan.* 3. *cap.* Constat Legem de Baptismo suscipiendo, datam fuisse post Resurrectionem Christi, cùm dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* istaque Lege non obligatos fuisse homines, nisi post sufficientem promulgationem ipsius, quæ facta est per Apostolorum prædicationem.

Quandonam data fuerit lex de Baptismo, & quodnam cœperit obligare.

De materia proxima, & remota Baptismi.

Dicitur 3. *quo per ablutionem exteriorem corporis aqua naturali factam.* Ut exprimatur duplex materia Baptismi; proxima, quæ est ablutio, seu applicatio aquæ, & remota, quæ est aqua naturalis; quæcumque sit, sive ex mari, palude, &c. sive pura, sive mixta cum luto, in parva tamen quantitate: unde patet quod aqua artificialis, v. g. aqua rosacea, & alius quicumque liquor, non est materia Baptismi. Ita D. Thomas art. 4.

An aqua sola sit materia baptismi, & quænam aqua.

Unde hoc habeatur.

Quod autem aqua naturalis sit materia baptismi, dogma est fidei, quod colligitur ex Joan. 3. cap. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & ex traditione; unde in Conc. Trid. istud „ definitum est, „ si quis dixerit

„ aquam

„ aquam veram, & naturalem, non
„ esse de necessitate Baptismi, atque
„ ideo verba illa Domini nostri Je-
„ su Christi, *nisi quis renatus fuerit*
„ *ex aqua, & Spiritu sancto*, ad me-
„ taphoram aliquam detorserit, ana-
„ thema sit. Ita Concilium *sess.* 7.
„ *can.* 2.

Nota, quod hoc Canone, Concilium percellat errorem Calvini, hæc verba Christi metaphoricè explicantis; tum etiam veterum hæreticorum, qui aquam in Baptismo repudiabant, scilicet Manichæorum, Seleuci, & Hermiæ, & Paulicianorum. Quinam erraverint circa materiam baptismi.

Cur autem aqua in Baptismo potius uti voluerit Christus, quàm alia materia, ratio multiplex affertur à Theologis. Prima petitur a necessitate Baptismi; cùm enim illa necessitas sit medii, in materia, quæ semper præsto sit, institui debuit Baptismus. Secunda sumitur ex proprietatibus aquæ, quibus significantur effectus Baptismi, nempe regeneratio; aqua enim propter humiditatem confert ad generationem, propter frigus apta est ad refrigerandum, propter fluiditatem apta est ad abluendum. Tertia sumitur ex mysteriis Christi, quibus justificamur: quibus repræsentandis aqua est idonea; per immersionem enim in aquam, significatur nos esse consepultos cum Christo; per emersionem ex aqua, significatur nos resurgere cum ipso. Cur aqua instituta sit materia baptismi.

Ad ablutionem assumitur aqua, Baptismus enim Latinè ablutio est.

Nota 1. Quod licèt aqua multa significet, attamen determinatur per formam ad significandam ablutionem exteriorem, qua significetur, & peragatur ablutio interior a peccatis.

Quotuplex abluendi modus.

Nota 2. Quod, ad valorem baptismi ablutio requisita potest fieri tribus modis; immensione. infusione, seu effusione, & aspersione, modò sit copiosa, & corpus immediatè tangat, non capillos, & vestes, atque diffluat per notabilem partem corporis.

An trina ablutio requiratur, an unica sufficiat.

Deinde unica, sive immersio, sive effusio, sive aspersio sufficit, licèt antiquitus trina immersio magis fuerit in usu, qui ritus, utpote pertinens ad disciplinam Ecclesiasticam, potuit mutari, & revera mutatus est in trinam effusionem, supra caput baptizandi.

An necessariò servandi sint ritus Ecclesiæ.

Observa unumquemque, extra casum necessitatis, teneri ad servandum morem suæ Ecclesiæ, quem sine peccato mortali mutare non potest, sive in materia remota & proxima, sive in forma.

An aqua necessariò benedicenda.

Observa deinde aquam debere esse ritu solemni consecratam: hocque est de necessitate præcepti tantùm sicut, & sunt unctiones ex chrismate, & aliæ omnes cæremoniæ, cùm solemniter nempe confertur Baptismus.

Quænam pars corporis ablui debeat.

Nota 3. Ablutionem cujuscumque partis corporis sufficere, licèt tutior sit ablutio capitis, in quo vigent omnes sensus, aut saltem alterius partis notabilis, ut pectoris, & scapularum: unde

unde si infans, nondum egressus ex utero matris baptizatus sit, & ablutus secundùm partem aliam, v. g. pedem aut manum, quam foras emittit, cùm adest periculum mortis, post perfectam nativitatem iterum sub conditione est baptizandus.

Dicitur 4. *sub præscripta verborum forma*, quæ forma perfecta & absoluta Baptismi, hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen*. Et colligitur ex Scriptura, Matthæi 28. *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et ex traditione docente, hęc verba esse proferenda. De forma Baptismi Quænam illa sit.

Ego. Hæc particula non requiritur ad validitatem Baptismi, cùm includatur in verbo, *baptizo*, nec etiam requiritur ista, *Amen*. Sine peccato tamen omitti non possunt.

Te. Illa particula requiritur ad validitatem, cujus loco, potest dici validè *vos* ad exprimendam dignitatem Personæ, vel numerum pluralem, cùm plures simul baptizantur: validus est tamen Baptismus Græcorum, qui dicunt: *baptizetur servus Christi* in tertia persona, loco secundæ, te.

Hinc observa, debere esse distinctionem inter baptizantem, & baptizatum, & proinde neminem seipsum posse baptizare. An aliquis seipsum baptizare possit.

Baptizo. Necessarium est enim exprimi actionem baptizantis, sive in significatione activa, ut mos est Latinorum, sive in passiva, ut est mos

Græ-

Græcorum, dicentium *baptizatur*, vel *baptizetur servus Dei*.

Loco verbi illius, possunt validè dici alia verba synonima, *abluo*, *lavo*, *immergo*, *aqua tingo*, &c. Ter repetitum illud verbum, non nocet validitati Baptismi, sic dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, baptizo in nomine Filii, baptizo in nomine Spiritus sancti*.

Cur dicatur *in nomine*, non *in nominibus*.

In nomine. *Nomen* in singulari unitatem naturæ in tribus Personis significat, unde Baptismus collatus in *nominibus Patris &c.* nullus esset; potest tamen validè ter dici, *in nomine*, ut dictum est.

An explicita mentio Trinitatis sit necessaria.

Patris & Filii, & Spiritus sancti. Distincta, & explicita mentio trium Personarum cum propriis nominibus requiritur ad validitatem Baptismi; unde qui baptizaret *in nomine Dei*, vel *Christi*, *vel Trinitatis*, vel etiam, ut ait D. Thomas, *genitoris*, *& geniti*, *& ex utroque procedentis*, nullus esset Baptismus.

Particula, *&*, ita requiritur ad validitatem Baptismi, ut si loco istius conjunctivæ, poneretur disjunctiva, *vel*, aut præpositio, *cum*, nullus esset Baptismus, dicendo, v. g. *Patris, vel Filii*: item dicendo, *in nomine Patris, cum Filio, & Spiritu sancto*.

An possit conferri baptismus *in nomine Christi*.

Nota tamen in Actibus Apostolorum legi, Apostolos baptizasse in nomine Christi: sed dicendum cum sanctis Cypriano, & Basilio, & aliis, ipsos baptizasse in forma communi, sed.

sed baptismo Christi authoritate instituto, & baptismo Joannis diverso: ideo dicuntur baptizasse in nomine Christi. Addunt alii, ipsos in forma communi post nomen *Filii* addidisse nomen *Jesu Christi*. Verùm, si non in forma communi, sed in nomine solius Christi baptizarunt, hoc fecisse credendum est, ut dicit Divus Thomas, & post ipsum Catechismus Romanus, ex dispensatione divina, quæ illis tantùm temporibus congruebat: ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi nomine prædicatio illustrior fieret, ejusque divina & immensa potestas magis celebraretur.

De subjecto Baptismi, & de suscipientibus ipsū.

Dicitur 5, *quo homo*; quilibet enim homo est capax baptismi recipiendi, sive sit adultus, sive infans, sive masculus, sive fœmina; cùm baptismus necessarius sit omnibus non solùm necessitate præcepti, sed etiam medii, & hoc de fide est, & colligitur tum ex Scriptura, *nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum cœlorum*: tum ex traditione. Hanc veritatem negarunt Pelagiani, Calvinistæ, & Anabaptistæ, quorum omnium errores damnavit Concil. Trid. his Canonibus *sess.* 7. „Si quis „dixerit, Baptismum liberum esse, „hoc est, ad salutem non necessarium, anathema sit.

An necessarius sit baptismus omnibus, & qua necessitate.

„Si quis dixerit, neminem esse „baptizandum, nisi ea ætate, qua „Christus baptizatus est, vel in ipso „mortis articulo, anathema sit.

„Si

An parvuli sint baptizandi.

„ Si quis dixerit, parvulos, eo, „ quod actum credendi non habent, „ suscepto Baptismo, inter fideles „ computandos non esse; ac pro„ pterea, cùm ad annos discretionis „ pervenerint, esse rebaptizandos; „ aut præstare omitti eorum Baptis„ ma, quàm eos non actu proprio „ credentes baptizari in sola fide „ Ecclesiæ, anathema sit.

An in utero matris posint baptizari.

Nota 1. Infantem in utero matris existentem, baptizari non posse; unde est expectanda illius totalis egressio, nisi mortis periculum immineat, alioquin pars egressa baptizanda, ut dictum est.

An monstra humana baptizanda.

Nota 2. Monstrum, non posse baptizari, nisi habeat caput humanum; vel si dubitetur, an sit homo, baptizandum est sub conditione. Vide Rituale Romanum.

De effectibus baptismi, & differentia.

Dicitur 6. *spiritaliter regeneratur*, His verbis exprimitur differentia baptismi, petita ab effectu principali illius, qui est regeneratio & renovatio hominis.

An omnia peccata tàm quoad culpam, quàm quoad pœnam totalem remittantur per Baptismum.

Hæc regeneratio hominis fit 1. Per remissionem plenam, & perfectam cujuscumque peccati, tum originalis, tum actualis, si quod sit, tàm quoad culpam, quàm quoad totam pœnam, etiam temporalem: totam enim pœnam remitti in Baptismo, patet ex praxi Ecclesiæ, quæ nullam baptizatis satisfactionem imponit, sicut iis, qui Sacramentalem absolutionem recipiunt; idque sine injuria baptis-

mi

mi Sacramenti fieri non posse', docet Catethismus Romanus. 2. Fit regeneratio hominis, per infusionem gratiæ habitualis, & sanctificantis, simul cum cęteris habitibus infusis, tum Thologicis, tum moralibus, & donis Spiritus sancti.

Nota 1. Præter hos effectus Baptismi (nempe remissionem omnium peccatorum, & omnis pœnæ illis debitæ, atque infusionem gratiæ habitualis, cum virtutibus super naralibus, & donis) esse alios, nempe caracterem, ratione cujus sine sacrilegio Baptismus iterari non potest; deinde gratiam Sacramentalem seu actualem, vel potius jus ad gratias actuales in posterum habendas, ut christianè, & secundum Legem Dei & Ecclesiæ vivat baptizatus, aliaque Sacramenta ritè percipiat; denique subjectionem in Ecclesia; per Baptismum enim baptizatus subjicitur Ecclesiæ.

Quænam sit gratia Sacramentalis, seu actualis Baptismi.

Nota 2. Quod, licèt tota pęna remittatur baptizatis, attamen in ipsis remanent pœnalitates hujus vitæ, ut sunt concupiscentia, infirmitas corporis, morbi dolores, moriendi necessitas, & miseriæ omnes quæ ex peccato Adæ ortum habent, atque ad agonem relinquuntur, & ut inde materiam virtutis habeamus: iisque, excepta concupiscentia, obnoxia fuit etiam Beata Virgo. Immò & quibusdam etiam ipsemet Christus, ut Redemptionem nostram

Cur pœnalitates peccati originalis non tollat baptismus.

An beata Virgo pœnalitates habuerit, an etiam Christus.

ſtram operaretur, fuit obnoxius.

Quomodo concupiſcentia ſit peccatum. Nota 3. Eſſe de fide contra Calviniſtas, concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum propriè dictum, ſed impropriè, quia ex pecato eſt, & ad peccatum inclinat. Ita definit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 5.*

An baptiſmo tollatur obligatio præceptorum. Nota 4. Quod per Baptiſmum, non ſolius fidei, ſed univerſæ Legis Chriſti, & Eccleſiæ ſervandæ debitores fiunt baptizati: & hoc de fide eſt, contra hæreticos, maximè Lutherum, & Calvinum, dicentes, baptizatos teneri ad ſolam fidem, non ad mandata Dei & Eccleſiæ ſervanda. *Ita Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 7. & 8.*

An etiam votorum. Nota 5. Vota omnia non irrita fieri per Baptiſmum, ut definit idem Concilium Canone 9. contra eoſdem.

Quænam ſint diſpoſitiones requiſitæ ad Baptiſmum. Nota 6. Ad gratiam conſequendam, requiri in adultis baptizandis fidem, & verum de peccatis dolorem, qualis ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, cum propoſito novæ vitæ ineundæ.

Quis poteſt conferre Baptiſmum?

Quis Miniſter ordinarius baptiſmi. Ordinarius Miniſter Baptiſmi eſt Epiſcopus proprius, vel Parochus, in propria Parochia.

Diaconus ex commiſſione illorum poteſt

potest solemniter baptizare, maximè in necessitate: si autem sine illorum licentia baptizaret, peccaret mortaliter, & esset irregularis. An Diaconus possit solemniter baptizare.

Ex commissione illorum similiter possunt licitè omnes Sacerdotes baptizare; & sine licentia illorum si batizarent peccarent mortaliter, sed non essent irregulares. An quilibet Sacerdos.

Nota 1. Quod quilibet, homo, sive vir, sive fœmina, sive fidelis, sive infidelis, potest validè baptismum conferre; immò & licitè in urgente necessitate, sine solemnibus tamen cæremoniis; si enim laicus illas adhiberet, peccaret mortaliter, & fieret irregularis. An in necessitate quilibet homo baptizare possit.

Nota 2. Quod urgente necessitate, non potest sine peccato mortali baptizare quilibet, præsente Pastore; Diaconus, presente Sacerdote; Clericus, præsente Diacono; Laicus præsente Clerico; fœmina, præsente viro: nisi ordinis illius invertendi legitima causa subsit. Quis ordo sit servandus ab eis, qui in necessitate baptizare possunt.

PARAGRAPHUS II.

De Confirmatione.

Quid est Confirmatio?

Unde habetur Cõfirmationem esse Sacramentum.

EST *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo, per impositionem manuum factam ab Episcopo cum unctione Chrismatis, sub praescripta verborum forma, fideles ad Christi fidem intrepidè profitendam, Spiritus Sancti plenitudine roborantur.*

Dicitur 1. *Sacramentum*; & est de fide ac colligitur ex Scriptura; Actuum enim 8. cap. legitur, quod Petrus, & Joannes missi ad Samaritanos, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum, „ & tunc „ imponebant, manus super eos, & „ accipiebant Spiritum sanctum. „ Quod intellige, non de visibili tantùm donatione Spiritus sancti, seu de donis linguarum, miraculorum, &c. sed & praecipuè de invisibili, sive de dono gratiae sanctificantis.

Quid de Confirmatione sentiant Haeretici.

Deinde colligitur ex traditione, & proinde meritò Conc. Trid. *sess.* 7. damnat Haereticos negantes, Confirmationem esse verum Sacramentum, hoc Canone 1. scilicet, „ Si quis dixerit, Confirmationem „ baptizatorum otiosam esse caere„ moniam, & non potius verum &

„ pro-

„ proprium Sacramentum; aut olim „ nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, qua adolescentiæ „ proximæ fidei suæ rationem coram „ Ecclesia exponebant; anathema sit.

Dicitur 2. *a Christo Domino institutum*, & quidem immediatè; licèt aliter senserint D. Bonaventura, & alii. Quandonam institutum fuerit illud Sacramentum, incertum est; alii dicunt, institutum fuisse in ultima cœna, quando Christus promisit Apostolis Spiritum sanctum, ipsis dandum in die Pentecostes, his verbis: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos*, Joan. 16. Alii dicunt institutum fuisse post Resurrectionem, cùm Christus loqueretur illis de regno Dei, & iterum ipsis promisit Spiritum sanctum, vel cùm contulit illis plenitudinem potestatis Episcopalis dicens: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*.

De institutione Confirmationis.

A quo, & quandonā instituta.

Dicitur 3. *quo, per impositionem manuum, factam ab Episcopo, cum unctione Chrismatis*. His verbis exprimitur materia totalis confirmationis; licèt enim quidam Theologi censeant solam impositionem manuum esse materiam essentialem, unctionem verò esse tantùm integrantem, alii è contra censeant solam unctionem esse essentialem, & impositionem manuum esse tantùm integrantem; probabilius est tamen utramque esse essentialem,

De materia Confirmationis.

Quænam sit illa.

An impositio manuum sit essentialis, an etiam unctio.

Par-

Partialis itaque materia Confirmationis, est manuum imposito; altera partialis, & quidem remota est Chrisma, proxima est unctio Chrismatis.

Unde habeatur impositionẽ manuum esse essentialem.

Quod impositio manuum Episcopi sit materia Confirmationis, patet ex hoc loco Actuum, *tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*, quam impositionem, de Sacramento Confirmationis Patres plerique tum Græci, tum Latini interpretantur; hæcque impositio manuum semper in usu fuit in Ecclesia, cùm sine ipsa, Chrismatio, quæ immediatè manu Episcopi fieri debet, ut & fit, sine impositione manuum esse non possit.

Quod Chrismatio sit etiam materia Confirmationis, patet ex traditione; Concilium enim Tridentinum post sanctos Patres, spiritalem virtutem dandi Spiritum Sanctum Chrismati tribuit hoc Canone, qui est secundus, percellens Hæretici istud negantes: „ Si quis dixerit, „ injurios esse Spiritui sancto eos, „ qui sacro Confirmationis Chrisma„ ti virtutem aliquam tribuunt; „ anathema sit.

An Apostoli adhibuerint Chrisma.

Porrò illa Chrismatio semper adhibita fuit ab Ecclesia: supposito autem quod aliquando Apostoli Chrisma non adhibuerint ad conferendum Spiritum sanctum, quod tamen multi Theologi negant, dicen-

dum

dum est, hoc extraordinariè factum fuisse, Christo tunc effectum Sacramenti sine Sacramenti materia conferente.

Nota 1. Quod per Chrisma intelligitur unguentum mixtum ex oleo, & balsamo; ex oleo quidem, ad designandam plenitudinem gratiæ, qua injunctus Christianus robur spiritale accipiat, ut tanquam miles, & athleta Christi, pro fide pugnet; ex balsamo autem, ut ille sit bonus odor Christi per virtutum omnium suavitatem, nec peccatorum corruptione putrescat.

Quid sit Chrisma.

Cur ex oleo, & balsamo composi- tum sit.

Nota 2. Quod oleum olivarum sit de necessitate Sacramenti: oleum enim istud duntaxat est propriè oleum, aliud verò quodcumque non nisi impropriè oleum dicitur.

Quodnam oleum necessariò requiratur.

Nota 3. Quod balsamum esse necessarium necessitate Sacramenti, est probabilissimum; attamen non est omninò certum, cùm istud negent quidam Theologi.

An balsamum necessariò requiratur.

Nota 4. Chrisma debere esse consecratum ab Episcopo. Hoc patet ex traditione Apostolica; multi enim Patres existimant, Christum præcepisse ritum consecrandi Chrismatis. Ideo autem Chrisma debet consecrari, quod illud contactu suo, & usu non consecravit Christus, sicut aquam, quæ est materia Baptismi, consecravit contactu suo, quando in Jordane baptizatus est: unde benedictio aquæ baptismalis est tantùm de

An debeat consecrari Chrisma, & a quo, & quam ob rationem.

Cur aqua baptismalis non necessariò sit benedicenda.

de necessitate præcepti Ecclesiastici, consecratio autem Chrismatis est de necessitate Sacramenti Confirmationis. Quidam tamen Theologi asserunt consecrationem Chrismatis esse tantùm de necessitate præcepti; nihilque hac de re ab Ecclesia definitum est.

Cur oleũ infirmorũ benedici debeat, non verò materia Eucaristię.

Inde inferas, propter rationem allatam, benedictionem olei infirmorum esse de necessitate Sacramenti extremæ Unctionis; benedictionem verò panis, & vini non esse de necessitate Sacramenti Eucharistiæ, sed tantùm de necessitate præcepti Ecclesiastici, quia Christus conficiendo Eucharistiam illius materiam contactu suo veluti consecravit.

Cur unctio fiat in fronte. Cur in modum Crucis.

Nota 5. In unctionem Chrismatis fieri in modum Crucis in fronte confirmandi, quæ verecundiæ est sedes, ne nomen Christi confiteri erubescat, ejusque Crucem, quæ Judæis est scandalum, & Gentibus stultitia; sed illo signo armatus strenuè dimicet pro Christo.

De Ministro.

Dicitur 4. *ab Episcopo*; Episcopus enim est Minister ordinarius hujus Sacramenti: & hoc de fide statutum est in Concilio Tridentino contra Hæreticos *sess. 7. can. 3.*

An quilibet Sacerdos possit conferre confirmationem.

An autem simplex Sacerdos extraordinariè, & cum dispensatione Papæ, cum Chrismate ab Episcopo consecrato, Confirmationem conferre possit, non est certum; alii Theologorum affirmant cum D. Thoma, alii negant.

Dici-

Dicitur 5. *sub præscripta verborum forma*. Forma illius Sacramenti est oratio, manuum impositioni adjuncta, cum solemnibus verbis Chrismationi respondentibus. Hæc autem verba Chrismationi respondentia in Ecclesia Latina usurpantur, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Duplici enim materiæ partiali, duplex partialis forma respondere debet; non est tamen de fide utramque esse essentialem: immò non est determinatum, quænam ambarum formarum sit essentialis; dicunt enim Theologi quidam formam respondentem Chrismationi non esse essentialem, sicut nec ipsam Chrismationem; attamen probabilissimum est utramque formam esse essentialem; unde sine utraque nullum esset, aut saltem dubium Sacramentum. De forma Confirmationis. Quænam sit illa & quotuplex. Quænam sit essentialis.

Nota 1. Quod apud Græcos, forma correspondens Chrismationi sit ista, *signaculum donationis Spiritus sancti*; hancque velut illegitimam, nunquam reprobavit Ecclesia. Quænam sit forma Græcorũ, & an valida sit.

Nota 2. Quod hæc forma, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: vel ista *Consigno te & cruce confirmo, &c.* non differant secundum substantiam a nostra, *signo te, &c.*

Nota 3. Quod illa verba solemnia hujus sacramenti silentur in veteribus libris non quod ad formam An illa forma sẽper fuerit sicut nunc usurpata.

mam essentialem non pertineant, sed quod veteres Patres sollicitè caverent ne solemnia illa verba propalarent; quod etiam est dicendum de plerisque aliis formis sacramentorum.

Quid significet illa forma.

Nota 4. Quod ista forma significet tria, 1. Causam conferentem roboris plenitudinem, nempe sanctam Trinitatem, his verbis *in nomine Patris &c.* 2. Robur collatum ad salutem, his verbis *Confirmo te Chrismate salutis.* 3. Signum, quo notandum militaturi pro Christo his verbis *signo te, signo Crucis.*

De differentia Cõfirmationis, & ejus effectibus.

Dicitur 6. *quo Fideles, ad Christi fidem intrepidè profitendam, Spiritus sancti plenitudine roborantur.* His verbis exprimitur differentia hujus sacramenti, petita ab effectu illius principali, qui est gratia habitualis, & actualis: habitualis quidem, augens gratiam baptismalem, immò & major ipsa; datur enim Spiritus sanctus ad robur.

Sic Apostolis datus est in die Pentecostes; sic dabatur baptizatis per impositionem manuum Apostolorum; Spiritus sanctus autem non datur sine gratia sanctificante, non quidem per se ad remissionem culpæ, sed ad augmentum, & firmamentum justitiæ; unde istud Sacramentum *Confirmatio* dicitur, eo quod firmat, quod priùs invenerit.

Quænam sit gratia sacramentalis, & actualis Confirmationis.

Deinde confertur gratia actualis, & peculiaris hujus Sacramenti, quę est

est etiam complementum, & perfectio gratiæ baptismalis, qua fideles confirmati, ad Christi fidem, non solùm interius contra quaslibet tentationes retinendam, sed etiam exterius in quibusvis casibus, etiam cum periculo mortis, si ita necessarium sit, fortiter profitendam roborantur; hinc iterum istud sacramentum *Confirmatio* dicitur.

Ex his patet gratia Confirmationis fideles perfectè Christianos fieri.

Cur *Confirmatio* sic dicatur.

Alter effectus, & quidem secundarius Confirmationis, est caracter.

Quisnam effectus secundarius.

Nota 1. Caracterem confirmationis necessariò supponere caracterem Baptismi, ac proinde nullum esse sacramentum Confirmationis collatum iis, qui non fuerint baptizati.

An confirmari possint, qui non sunt baptizati.

Nota 2. Omnibus baptizatis etiam infantibus validè Confirmationem conferri posse. In primitiva Ecclesia, infantibus simul cum Baptismo conferebatur, tunc verò non confertur, nisi ad septimum annum pervenerint, cùm nempe adepti sunt usum rationis.

An infantes confirmari possint, & debeant.

Nota 3. Fidem, & gratiæ sanctificantis statum requiri in adultis, ut dignè, & fructuosè ab ipsis recipiatur Confirmatio: qui status gratiæ in peccatore procurandus est per Confessionem sacramentalem, vel saltem per Contritionem perfectam.

Quænam sint dispositiones ad Confirmationē

Nota 4. Hoc Sacramentum, non esse necessarium ad salutem necessitate medii, sed tantùm necessitate

An necessaria Confirmatio, & qua necessitate.

præcepti; unde graviſſimum eſſet peccatum, ſi quis ex contemptu illud recipere nollet; ad contemptum autem proximè accedere cenſent Theologi, ſi quis non curaret ſuſcipere Confirmationem, oblata illius ſuſcipiendæ occaſione & opportunitate, quam in poſterum non adfuturam præviderет. Cenſent præterea adultum teneri illam ſuſcipere, ſi Epiſcopum commodè adire poſſit, cum urget perſecutio contra fidem, vel gravis contra ipſam tentatio, quæ virtute illius ſacramenti tantummodo vinci poſſit.

PARAGRAPHUS III.

De Euchariſtia.

Quid eſt Euchariſtia?

De genere Eucariſtię. EST *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quod ſub ſpeciebus panis, & vini continet Corpus, & Sanguinem ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad ſpiritualem hominis refectionem.*

Dicitur *ſacramentum*, convenit enim ipſi definitio ſacramenti; nam 1. Eſt ſignum ſenſibile. 2. A Chriſto eſt inſtitutum. 3. Confert gratiam, propter hanc Chriſti promiſſionem, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.*

De

De hac veritate, quæ est de fide ipsi etiam hæretici non dubitant; fatentur enim Eucharistiam esse Sacramentum.

Nota 1. Quod in hoc Sacramento præcipuè tria a Theologis considerantur; Sacramentum tantùm, res sacramenti, sacramentum & res sacramenti simul. Sacramentum tantùm est id, quod significat & non significatur; & sunt species panis & vini, quæ significant Corpus, & Sanguinem Christi, & gratiam producendam: res sacramenti est id, quod significatur, & non significat; & est gratia: Sacramentum & res Sacramenti est id, quod significat & simul significatur; & sunt Corpus, & Sanguis Christi, quæ significant gratiam, & significantur speciebus.

Quid sit sacramentum, res Sacramenti, Sacramentum, & res Sacramenti simul.

Nota 2. Quod, licèt species, quatenus significant Corpus, & Sanguinem Christi quæ continent, & gratiam quam producunt, habeant veram, & absolutam significationem sacramenti, sintque verum sacramentum: attamen Corpus & Sanguis Christi, quatenus existunt sub speciebus panis & vini, propriè etiam, & verè sunt, & dicuntur sacramentum; unde sacramentum Eucharistiæ vocatur Corpus Christi.

An species sint Sacramentum. An Corpus Christi.

Nota 3. Eucharistiam esse unum, non plura sacramenta: unum quidem non quia individuum; si enim spectetur materia remota, quæ duplex est, nempe panis & vinum; si

An Eucaristia sit unum Sacramentũ aut plura

etiam ſpectetur forma, quæ etiam duplex eſt, ſic eſt multiplex, & diviſum in duas partes; ſed eſt unum, unitate ſignificationis, & finis; eſt enim totum quoddam perfectum, & conſtans partibus, ad eundem finem ordinatis, nempe ad ſpiritalem refectionem, quæ habet proportionem cum refectione corporali, ad quam cibus & potus concurrunt, & ideo dicitur Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus; & Sanguis meus verè eſt potus.*

An præcipuè Eucariſtia ſit Sacramentum rememorativū, demonſtrativum, & prognoſticum.

Nota 4. Iſtud in primis ſacramentum, eſſe rememorativum Paſſionis Chriſti, demonſtrativum gratiæ præſentis, & prognoſticum futuræ gloriæ; canit enim Eccleſia, *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur.*

Quomodo Eucariſtia differat ab aliis Sacramentis.

Nota 5. Sacramentum Euchariſtiæ ab aliis differre 1. Ratione dignitatis; eſt enim ſacramentum ſacramentorum, & dicitur ſimpliciter *ſanctum Domini*. 2. Ratione rei contentæ, non enim gratiam tantùm continet, ſed & Authorem gratiæ; unde dicitur ſimpliciter *gratia, vita*. 3. Quia in hoc ſacramento materia non remanet, ut in aliis, ſed mutatur in Corpus & Sanguinem Chriſti. 4. Quia iſtud ſacramentum non conſiſtit in uſu, & applicatione materiæ, ut cætera Sacramenta, ſed conſiſtit in re permanenti, extra uſum; unde eſt verè Sacramentum,

etiam

etiam cùm asservatur in pyxide, & in sacrario.

Nota 6. Quod hoc Sacramentum multis nominibus appellatur 1. Vocatur *Eucharistia*, id est, bona gratia, vel gratiarum actio: bona gratia, quia & gratiam, & Authorem gratiæ continet, & vitam æternam, quæ dicitur ab Apostolo gratia, significat; gratiarum actio, quia Christus instituens hoc Sacramentum, gratias egit Deo Patri; & quia quotidiè cùm istud sacramentum consecratur, gratiæ aguntur Deo pro omnibus beneficiis ab ipso acceptis, ac maximè pro institutione illius Sacramenti. 2. Appellatur *Cœna*, quia illud Christus instituit in ultima Cœna. 3. Appellatur *Viaticum*, quia est cibus hominis in hac vita peregrinantis; & quia parat nobis viam ad vitam æternam, unde Eucharistiam in periculo mortis administrari necesse est. 4. Appellatur *Communio*, quia per illud verè, & realiter conjungimur Christo. 5. Appellatur *Sacrificium*, *Hostia*, quia per ipsum Christus Patri offertur, & immolatur, ut dicetur postea.

De nominibus Eucaristiæ.

Dicitur 2. *a Christo Domino institutum*; Christus enim in ultima cœna illud instituit, ut habetur Matthæi 26 cap., Cœnantibus illis, ac. „ cepit Jesus panem, & benedixit, „ ac fregit, deditque Discipulis „ suis, & ait: Accipite, & come„ dite: Hoc est Corpus meum. Et

De institutione Eucaristiæ, & quodnam tempus illius.

„ accipens calicem gratias egit, & „ dedit illis, dicens: Bibite ex hoc „ omnes: Hic est enim sanguis meus „ novi Testamenti, qui pro vobis „ effundetur in remissionem pecca„ torum. Idem habetur Marci 14. „ capit. Lucæ 22. & Pauli 1. Epi„ stolæ ad Corinth. 11. cap.

Propter quos fines Christus instituerit Eucaristiã.

Porrò illud instituit Christus. 1. Ut daret pignus infiniti sui amoris, quo usque in finem fideles suos dilexit, & nunc diligit. 2. Ut in specie visibili discessurus, semper in sacramento vere remaneret nobiscum. 3. Ut memoriale tum mirabilium suorum, tum beneficiorum, ac maximè suæ Passionis nobis relinqueret, quamobrem conveniens fuit, ut imminente Passione, celebrato priori & veteri sacramento, Agni scilicet Paschalis, novum sacramentum institueret.

De figuris Eucharistiæ. Quænam sint illæ.

Nota ergo, Agnum Paschalem omnium figurarum Eucharistiæ fuisse figuram perfectissimam; verùm quidem est, si spectetur in Eucharistia id quod est sacramentum tantùm, scilicet panis, & vinum, præcipuam illius figuram fuisse oblationem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit: si spectetur verò id quod est sacramentum, & res sacramenti, scilicet Corpus Christi, quod in cruce immolatum est, præcipuæ illius figuræ fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti: si spectetur denique id quod res est tantum,

sci-

scilicet effectus hujus sacramenti, nempe gratia, præcipua illius figura fuit manna, quod habebat omnis saporis suavitatem, sicut gratia hujus sacramenti quæ mentem, quoad omnia reficit. At Agnus Paschalis magis expressa fuit figura Eucharistiæ: his enim modis omnibus ipsam ræpresentat, & quantùm ad id, quod est sacramentum, quia manducabatur cum panibus azimis; & quantùm ad id, quod est sacramentum & res sacramenti, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel decima quarta Luna, sicque erat figura Christi, qui velut Agnus innocens occisus, & immolatus est a Judæis circa illud tempus; & quantum denique ad id, quod est res sacramenti, seu quantùm ad effectum, nempe gratiam, quia per Sanguinem Agni paschalis, protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, & educti de servitute Ægyptiaca, atque adeo erat figura Eucharistiæ, qua munimur contra tentationes Diaboli.

Cur Agnus Paschalis fuerit perfectissima figura Eucharistiæ

Dicitur 5. *Quod sub speciebus panis, & vini, continet Corpus & Sanguinem ejusdem Christi Domini*. His verbis indicatur materia remota Eucharistiæ, nempe panis & vinum: indicatur deinde quid efficiatur forma, nempe transubstantiatio, seu conversio substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi.

Quænam materia Eucharistiæ in sacri.

De materia Eucharistiæ.

An Eucaristia fiat ex solo pane, & vino.

Materia, non quæ permaneat, vel ex qua constet, sed ex qua fiat hoc sacramentum, nempe Corpus & Sanguis Christi, est panis & vinum, & hoc probatur ex capite 26. Matthæi, de quo suprà, & aliis locis, institutionem Eucharistiæ referentibus; probatur insuper traditione, contra veteres Hereticos, quorum alii sanguinem infantis anniculi farinæ mixtum adhibebant; alii panem & caseum; alii denique solam aquam sine vino, sub specie, & prætextu sobrietatis.

Cur panis, & vinum instituta sint materia Eucaristiæ.

Cur autem hanc esse materiam Eucharistiæ voluerit Christus, has rationes congruas afferunt Theologi, quarum prima petitur ab usu hujus sacramenti; sicut enim panis, & vinum adhibentur ad refectionem corporis, ita assumunt in hoc sacramento ad refectionem spiritalem animæ. Secuda petitur a re commemorata, nempe passione Christi, in qua Sanguis a Corpore separatus est, sicque ad illius recolendam memoriam in hoc Sacramento seorsim consecratur panis, ejusque specie sumitur, ut sacramentum corporis; & seorsim consecratur vinum, ejusque species sumitur, ut sacramentum Sanguinis. Tertia petitur ab effectu, nempe, significatione Corporis.

poris mystici Christi, quod est Ecclesia, quæ ex multis hominibus in unum est collecta: ideoque Eucharistia fit ex pane, qui ex multis granis, & ex vino, quod ex multi acinis coalescit.

Nota 1. Ex his Eucharistiam non constare ex materia & forma, sicut alia sacramenta, nisi dicas, species esse veluti materiam, & Corpus Christi, atque ejus Saguinem, esse veluti formam, ex quibus constet. Sed necessariò prærequirit materiam, ex qua fiat, quæ materia est panis triticeus duntaxat, & vinum de vite. Id autem certum est, quia non est dubium, quin Christus usus fuerit, & pane triticeo, seipsum enim grano frumenti comparavit, & vino de vite; dixit enim, *non bibam de hoc genimine vitis, donec, &c.* id etiam constat traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ: & quidem meritò, cum solus panis triticeus, communiter absolutè sit, & dicatur panis; & vinum de vite sit, & dicatur vinum, aliique liquores, non nisi impropriè vina dicuntur.

An Eucaristia in facto esse habeat materiam & formã.

Qualis panis, & quale vinum necessariò requirantur.

Nota 2. Quod in pane fermentato, vel azymo validè potest consecrari Eucharistia, quia sive fermentatus sit, sive azymus, verè est panis; ritus quidem Orientalis Ecclesiæ, quæ est Græcorum, panem fermentatum adhibenti, est legitimus, & ab Ecclesia Romana approbatus, sed ritus Ecclesiæ Occidentalis, seu Latinorum, azymum consecrantis.

An in pane fermẽtato posit consecrari.

An legitimus sit ritus Grecorum.

An ritus Latinorũ sit convenientior.

est convenientior. 1. Quia in Christi exemplo fundatus est; Christus enim hoc sacramentum instituit prima die azymorum, qua nihil fermenti domi habere, Judæis licebat; Christus tamen in azymo consecrare non præcepit, ut semper docuit Ecclesia. 2. Quia azymus panis significat, & conceptionem Christi quæ immunis fuit ab omni corruptione, & sinceritatem fidelium necessariam ad manducationem Eucharistiæ.

An in azymo consecrari liceat.

Observa, quod Græcis in suis Ecclesiis celebrantibus nunquam liceat consecrare in azymo, sicut nec Latinis in suis Ecclesiis liceat consecrare in fermentato, etiam in casu necessitatis: unusquisque enim morem Ecclesiæ suæ servare debet.

An aqua vino miscenda, & quare.

Nota 3. Quod vino consecrando admiscenda est aqua necessitate præcepti Ecclesiastici, quod habetur ex traditione Apostolica, & decretis Conciliorum, maximeque Tridentini dicentis *sess.* 22. istud ab Ecclesia esse præceptum, tum quod Christus ita fecisse credatur, tum etiam quia ex latere ejus crucifixi, aqua simul cum sanguine exierit; ad mysterium illud recolendum adhibetur aqua & miscetur cum vino: nec non etiam ad repræsentandam unionem fidelis populi cum suo capite, nempe Christo Domino, cùm in Apocalypsi aquæ populi dicantur.

An necessitate Sacramenti sit miscenda.

Observa vino consecrando admiscendam non esse aquam, de necessitate

sitate sacramenti; & hoc constat ex praxi Ecclesiæ, & ex illius sententia expressa in rubricis Missalis Romani, his verbis: „ Si non appositam adfuisse aquam advertat Sacerdos, post consecrationem nullo „ modo apponat, quia non est de „ necessitate Sacramenti.

Nota 4. Quod si panis absque vino consecraretur, aut è converso vinum absque pane, valida esset consecratio; verba enim consecratoria id efficiunt, quod significant; ac proinde cùm hæc verba, *hoc est Corpus meum*, significent Corpus Christi, illud efficiunt, etsi vini nulla consecratio fieret. Idem de verbis consecratoriis Sanguinis dicendum est. An panis absque vino, & vinum absque pane validè consecrari possint.

Nota 5. Quod Christi institutioni ac præcepto repugnat, ut Eucharistiæ sacramentum in una tantùm specie consecretur; Christus enim utramque consecravit, & Apostolis utramque consecrari præcepit, his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; commemoratio autem expressa scilicet Passionis Christi non potest esse, nisi vi verborum separatim ponantur Corpus, & Sanguis. An etiam licitè.

Nota 6. Quod panis & vini consecrandi quantitas non est determinata ex Christi institutione, id est, nulla est tàm magna, quæ valide consecrari non possit; ac licitè non potest consecrari, nisi quantùm necessarium est ad usum communicantium. Quænam quantitas panis, & vini consecrari possit, & debeat.

Nota 7. Quod materia consecran-

da

An præsentia materiæ consecrationis necessaria sit, & qualis.

da præsens esse debet consecranti, non præsentia physica tantùm, sed & morali: ita ut viri prudentis judicio possit demonstrari, cùm utitur pronomine demonstrativo, *hoc*, vel *hic*, sic clausæ hostiæ in pyxide possunt consecrari; non verò quæ sunt extra parietem positæ.

An determinari debeat materia.

Nota 8. Quod materia consecranda, debet esse determinata per intentionem Ministri consecrantis; alioquin, si indeterminata sit, nulla est consecratio: ut si v. g. ex multis hostiis unam tantùm, quam non designaret, vellet consecrare Sacerdos.

Salubre consilium.

Observa quod ad evitanda inconvenientia, oportet ut Sacerdos intendat consecrare omnes hostias, quas habet præsentes, etsi earum numerum certò non sciat.

An validè consecrari posit in quolibet frumento.

Nota 9. Quod si frumenta aliqua ex sato semine tritici generentur, panis confectus ex iis, congrua est Eucharistiæ materia, quia secundùm substantiam non differunt a tritico.

An validè & licitè consecrari posit in pane hordeaceo, siligineo, &c.

Nota 10. Quod constat inter omnes Theologos, Eucharistiam non posse validè confici in pane hordaceo (*pain d'orge*;) verùm an possit validè confici in pane siligineo (*de seigle*) propriè dicto, aut in pane ex spelta, vel farre, quæ sunt grana diversa a frumento, incertum est: unde constat in illis panis generibus illicitè confici.

An permixtio aliorum granorum cum frumento invalidam reddat consecrationem.

Nota 11. Quod adulterini frumenti modica permixtione, non mutatur

spe-

species tritici, cum qua permiscetur, at magna, seu æquali propriè utriusque permixtione mutatur illius species; unde panis exinde confectus est indebita prorsus Eucharistiæ materia.

Nota 12. Quod, si farinæ tritici alius liquor in aqua naturali admisceatur, non potest esse materia Eucharistiæ, quia non est verus panis. Item si admisceatur mel, vel butyrum; sic enim esset placenta, non panis. Item si farina cruda sit, & non cocta calore ignis. An validè possit consecrari in farina macerata quolibet liquore. An in farina cruda.

Nota 13. ex pane penitus corrupto, validè non posse consecrari Eucharistiam; si verò non sit penitus corruptus, validè quidem, sed illicitè, extra tamen casum necessitatis. An in pane corrupto.

Nota 14. Quod in aceto non potest validè consecrari, sicut nec in omphacio, seu agresta (*verjus*) & in vino decocto (*vin cuit*) at in musto (*vin doux*) validè potest, sed illicitè, si recens sit, & nulla sit necessitas: sic etiam in vino acescente; at in eo quod penitus acidum est, invalida est consecratio. An in aceto omphacio, & musto.

Nota 15. Incertum esse, an vinum congelatum apta sit materia: Theologorum enim alii affirmant, quia retinet substantiam vini, alii autem negant, quia non est potabile. Inde referas, materiam esse dubiam ac proinde tutius esse ante consecrationem calefacere Calicem, ut vinum congelatum resolvatur. Vide rubricas Missalis Romani. An in vino congelato.

Nota

An aqua miscenda in Calice. Nota 16. aquam naturalem duntaxat miscendam esse in calice, non alium liquorem: & mixtionem aquæ in dolio factam non sufficere.

Quænam aquæ miscendæ debeat esse quantitas. Nota 17. Per modicum aquæ vino admiscendum esse, quia, ut ait Innocentius III. Papa, secundùm probabiliorem opinionem, aqua cum vino transubstantiatur in Sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino; ac proinde cavendum ne plus aquæ vino misceatur, quàm facilè possit ante consecrationem in vinum transmutari: si autem tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.

Monitum haud spernendum. Alios defectus circa materiam occurrentem diligenter lege in Missali Romano, sicut & alios occurrentes circa formam, & in Missæ exercitio, &c.

De Forma.

Quænam sit forma consecratoria panis. Quænam vini. An preces necessariò adhibendæ. Forma consecrationis panis sunt hæc verba. *Hoc est Corpus meum*; forma verò consecrationis vini sunt ista: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Neque aliæ preces, & orationes ad consecrationem Eucharistiæ sunt necessariæ, ut docet Ecclesia contra Græcos receptiores.

Quod verba prædicta sint forma con-

consecrationis, probatur ex Evangelistis, Matthæo, Marco, & Luca, atque ex Apostolo Paulo institutione Eucharistiæ referentibus. Probatur etiam ex traditione, & ex praxi atque sensu Ecclesiæ. Probatur denique his rationibus desumptis ex Catechismo Romano: 1. Christus dixit hoc facite in meam commemorationem, quod ergo faciendum præcepit, non solùm ad id quod egerat, referendum est, sed etiam ad verba quæ dixerat, quæ verba non minùs efficiendi, quàm significandi causa prolata sunt. 2. Forma est ea qua significatur id quod efficitur in isto Sacramento: at verba illa significant conversionem panis & vini, quæ fit in Corpus & Sanguinem Christi, ergo verba ista sunt forma Eucharistiæ consecrandæ. Unde habeatur illæ formæ.

Forma consecrationis panis explicatur.

1. Verba ista in Canone posita, *qui pridie, &c.* usque ad ista, *Hoc est enim Corpus meum*, non pertinent ad formam; sed recitativè tantùm, non consecratoriè, ut forma, proferuntur a Sacerdote. Ita est dicendum de verbis præpositis consecrationi vini, *simili modo, &c.* Quænam recitativè tantùm proferantur.

2. Quamvis hæc verba Corporis Christi consecrationi præposuerit Evangelista, *Accipite & manducate*: hæc Quænam verba spectent usum tantùm.

hæc item consecrationi Sanguinis *Bibite ex hoc omnes*; tamen ad substantiam formæ non pertinent, cùm usum tantùm Sacramenti, non consecrationem significent; usus autem hujus Sacramenti ab ejus consecratione & substantia distinguitur.

Quo ordine verba Christi sint construenda.

3. Verba ab Evangelista relata, isto ordine sic intelligenda sunt. Accepit panem, benedixit dicens, hoc est Corpus meum, fregit, deditque suis Discipulis, & ait; accipite, & comedite. Ita etiam intelligenda sunt verba ab ipso relata, pertinentia ad Calicis consecrationem.

An hæc vox *hoc*, essentialis sit.

4. Pronomen demonstrativum *hoc*, pertinet ad essentiam formæ panis, si autem loco illius poneretur aliud demonstrativum, nempe *istud*; vel masculinum pronomen, *hic*, ex ignorantia Grammaticæ vel lapsu linguæ, non esset mutatio substantialis: secùs dicendum, si poneretur pronomen *illud*; nam non est demonstrativum; vel adverbium, *hic*, nam non significat transubstantiationem. Eodem modo ratiocinandum, de pronomine *hic* in forma vini consecrandi.

An sint quædam propositiones æquivalentes.

Si diceretur, *Hic cibus est Corpus meum*, *hæc res est corpus meum*, *hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum*, rata esset consecratio, cùm hæ propositiones eundem habeant sensum, ac ista, *Hoc est Corpus meum:* si verò diceretur, *Ecce Corpus meum*, dubia esset consecratio, & probabilissimè nulla.

Nota

Nota quod in forma consecratio- nis pronomina, *hoc*, & *hic*, nihil demonstrent, nisi in illo instanti, in quo proferuntur ultima verba propositionis; cùm enim propositiones practicæ efficiant id quod significant, non sunt veræ nisi in ultimo instanti, in quo absolvuntur. Pronomina ergo illa demonstrant contentum sub speciebus confusè, itaut in fine prolationis operatoriæ & practicæ, propositio verificetur pro Corpore & Sanguine Christi; estque is sensus, hoc contentum sub speciebus est Corpus meum: hic liquor contentus sub speciebus, & in isto Calice est Sanguis meus; sicque illæ propositiones non sunt nugatoriæ, sicut nec ista, hic est Filius meus dilectus, nugatoria dicenda est.

Quid denotent hæ voces *hoc*, & *hic*.

5. Verbum, *est*, propriè & substantivè sumendum est non metaphoricè, & figuratè pro, *significat*, ut contendunt Hæretici, qui realitatem Corporis & Sanguinis negant.

An verbum *est* sumatur substantivè, aut metaphoricè.

Deinde illud verbum substantivum, præsentis temporis, & indicativi modi, ita est de essentia formæ, ut si loco illius poneretur, *erit*, *sit*, *fiat*, & *fiet*, nulla esset consecratio, quia hic modus loquendi planè esset diversus a modo loquendi Christi, & non esset idem sensus; non enim significaretur transubstantiatio facta, nulla interposita mora,

An verbū substantivum debeat esse necessariò temporis præsentis.

mora, quod requiritur ad consecrationem.

An omitti posit verbum *est*.

Nota tamen, quod si verbum *est*, prætermitteretur, dicendo, *Hoc Corpus meum, hic Sanguis meus, &c.* sacrilegium quidem committeretur, sed consecratio fieret, quia subintelligitur; eademque est vis propositionis, & idem sensus: familiare est enim Latinis, Hebræis, & Syris illud verbum, *est*, in enuntiatione subintelligere; unde nec constat, Christum, qui Hebraicè loquebatur, aut Syriacè, illud verbum addidisse, maximè cùm in Græco non sit expressum apud Lucam 22. referentem consecrationem Calicis.

An vox, *enim* sit de necessitate Sacramenti.

6. Conjunctio, *enim*, non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti; nam secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a beato Petro derivatam, ad indicandam continuationem formæ cum præcedentibus apponitur.

An loco *Corporis*, posit sub stitui hæc vox *Caro*.

7. Nomen istud, *Corpus*, est de essentia formæ; itaut si quis diceret, *Hæc est Caro mea*, verisimile sit, quod non conficeret Sacramentum, quia Caro & Corpus non sunt verba æquivalentia, cùm Corpus aliquid ampliùs significet quàm Caro.

An hæc vox *meum*, sit de essentia formæ.

8. *Meum*, etiam ad essentiam formæ pertinet; unde si quis diceret, *Hoc est Corpus Christi*, nullum esset Sacramentum, quia hic modus loquendi planè diversus esset a verbis

Chri-

Christi; & quia ex Christi Persona, forma non proferretur: debet autem proferri in persona Chisti.

Nota quod si quis ex imperitia, vel lapsu linguæ diceret, *meus*, validum esset Sacramentum.

Forma consecrationis vini explicatur.

Multa ad illam pertinentia jam explicata sunt supra, cætera sunt explicanda.

Quomodo verba consecrationis Calicis relata sint ab Evangelistis, & a D. Paulo.

1. *Hic est Calix*, hæc verba a sancto Luca, & ab Apostolo Paulo scripta sunt: *Sanguinis mei, vel Sanguis meus: novi Testamenti: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; partim a sancto Luca, partim a sancto Matthæo ista scripta sunt.

2. *Æterni: Mysterium Fidei*. Ita verba sancta traditio Catholicæ veritatis interpres, ac custos nos docuit, non Scriptura sacra.

3. Hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, figuratè posita & exprimentia continens pro contento, intelligenda sunt hoc sensu, *Hic est Sanguis meus, qui hoc Calice continetur*. Rectè autem Calicis fit mentio, ad significandum quod sanguis Christi est potus fidelium; potus enim Calice sumitur, ad Passionem Christi ræpresentandam, quæ ab ipso

Cur Calicis fiat mentio.

ipso *Calix* nominata est, cùm dixit, *transeat a me calix iste*.

4. Dicitur *Testamenti*, quia Testamentum sanguine dedicatur, ut ait Apostolus.

5. Dicitur, *Novi*, ut intelligatur sanguinem Christi non in figura, ut in veteri Lege, sed verè & reipsa hominibus tradi, quod ad novum Testamentum pertinet.

6. Dicitur, *& æterni*, ad significandum effectum Sanguinis Christi; per novum enim Testamentum Sanguine & Morte Christi confirmatum, jus ad æternam hæreditatem nobis tribuitur.

Quomodo sit intelligendum *Mysterium fidei*.

7. Dicitur, *Mysterium fidei*, non ad excludendam Sanguinis veritatem & realitatem: sed quod istam certò credere debeamus, licèt a sensibus sit remotissima. Deinde illa verba ponuntur ad significandum alium effectum Sanguinis Christi, nempe fidem & justitiam, quæ ab ipso Sanguine, per Passionem effuso, occultè in nos derivantur.

8. Dicitur, *qui effundetur in remissionem peccatorum*, ad significandum etiam alium effectum Sanginis Christi, nempe remissionem peccatorum, quæ nos a justitia & gloria consequenda impediunt, deinde ad repræsentandam Passionem Christi, qua effusus est Sanguis Christi; quæ Passio Christi appositè etiam repræsentatur per separatam consecrationem sanguinis a consecratione Corporis.

Nota,

Nota, quod in Græco textu loco, *effundetur*, futuri temporis, ponitur vox præsentis temporis, quæ sic verti potest, *effunditur*, ut significetur offerri & libari Sanguinem in Sacrificio incruento, quod peractum est in Cœna Domini, & quod quotidie peragitur, cùm Missa celebratur. Quomodo intelligēda vox *effunditur*.

Versio verò Latina vulgata, quæ est futuri temporis, refertur ad effusionem illam Sanguinis, quæ in Cruce futura erat, quando hæc verba protulit Christus; hanc autem versionem retinuit Ecclesia ut significaret, istud Sacrificium quod offertur in Altari, & illud quod in Cruce oblatum est unum & idem esse, sola offerendi ratione diversa, ut ait Concilium Tridentinum. Quomodo intelligēda vox *effundetur*.

9. Dicitur *qui pro vobis*; quæ verba a sancto Luca scripta sunt, & referuntur ad eos, qui tunc aderant, & ad electos ex Judæis, quales erant Discipuli, Juda excepto.

10. Dicitur, *& pro multis*, quæ verba a sancto Matthæo scripa sunt & referuntur ad reliquos ex Judæis & Gentibus.

Nota, quod Christus non dixit, *pro omnibus*, licèt pro omnibus mortuus sit, quia hic sermo est de fructu, & effectu sanguinis Christi, quem omnes non percipiunt: multi enim propria sua malitia illum respuunt, & illius recipiendi incapaces se reddunt. Uno verbo *pro multis*, sic intelligendum est, pro so- An pro solis prædestinatis sit effusus Sanguis Christi, & quomodo.

solis nempe prædestinatis, quantùm ad efficaciam, fructum, & effectum, effusum esse Sanguinem Christi: & pro multis, quantùm ad sufficientiam, & virtutem, tàm ex se, quàm ex intentione Christi.

An omnia verba sint de essentia formæ.

11. Nota, quod juxta Theologos sola hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel, *Hic est Sanguis meus*, pertinent ad essentiam formæ, reliqua verò minimè, quamquam sanctus Thomas dicat & alia referri ad substantiam formæ, verùm hæc loquendi ratio latè est sumenda. Est tamen ita ex præcepto Ecclesiastico ea pronuntiari, ut ingentis piaculi loco haberetur eorum omissio.

De Transubstantiatione.

Quid sit transubstātiatio.

Transubstantiatio est conversio totius substantiæ panis & vini, in totam substantiam Corporis & Sanguinis Christi, remanentibus tantùm speciebus seu accidentibus panis & vini, qualia sunt, color, odor, sapor, quantitas, figura, &c.

An sit annichilatio

Nota ergo quod transubstantiatio non est annichilatio substantiæ panis & vini; sed conversio illius in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, quæ incipit esse sub speciebus,

An creatio vel generatio.

non per creationem, vel generationem, vel loci mutationem, non enim Christus descendit de cœlo illud

lud relinquens: sed per conversionem substantiæ panis & vini in ipsam.

Nota deinde, transubstantiationem esse totius substantiæ panis & vini, id est; tum materiæ, tum formæ substantialis, itaut nihil remaneat, quod sit de substantia illorum, sed tota & integra illorum substantia convertatur in totam substantiam Corporis, & Sanguinis Christi.

An materia panis remaneat.

Nota denique quod tota substantia Corporis Christi ponatur sub speciebus per transubstantiationem, itaut nihil desit quod ad ipsam pertineat; quantitas enim externa seu extensio localis, & alia accidentia quæ inde dependent, ut v. gr. quod sit visibile, tangibile, &c. non pertinent ad essentiam Corporis. Christus igitur in Eucharistia non habet extensionem; non est in loco ad modum corporum, sed spirituum, id est, sine extensione; non movetur motu proprio, sed ad motum specierum, quibus sacramentaliter unitur; uno verbo, non habet essendi modum naturalem, qualem habuit ante mortem, neque gloriosum, qualem nunc habet in cœlo: sed habet modum essendi sacramentalem: id est, idem Corpus substantialiter, quod natum est ex Maria Virgine, & quod tunc est in cœlo, est in Sacramento, sed ineffabili modo sub speciebus latens.

An Corpus Christi quantitatem seu extensioné habeat in Eucharistia.

An existat circūscriptivé vel definitivé.

An moveatur motu proprio.

An modus essendi illius sit naturalis, gloriosus, vel sacramentalis.

Dogma fidei est, transubstantiatio-

Unde habeatur dogma transubstantiationis.

tionem effici in Sacramento Eucharistiæ verbis consecratoriis: illudque dogma habetur maximè ex traditione, & Conciliis, præcipueque Tridentino, quod Lutheranos hanc negantes, asserentesque panem & vinum remanere in Eucharistia, damnat hoc Canone 2. *sess.* 13.

„ Si quis dixerit in Sacrosancto „ Eucharistiæ Sacramento remanere „ substanriam panis & vini unà cum „ Corpore, & Sanguine Domini „ nostri Jesu Christi; negaveritque „ mirabilem illam & singularem con„ versionem totius substantiæ pa„ nis in Corpus, & totius sub„ stantiæ vini in Sanguinem, ma„ nentibus duntaxat speciebus pa„ nis & vini, quam quidem con„ versionem Ecclesia aptissimè tran„ substantiationem appellat, ana„ thema sit.

Nomen transubstantiationis aptissimè ab Ecclesia usurpatur.

An in Scriptura reperiantur hæ voces *transubstantiatio, Consubstantiale, Ingenitum, Trinitas, &c.*

Nota ergo, quod hæc vox, *transubstantiatio*, non est in Scriptura, sed quod ab Ecclesia inventa, & consecrata est: & quidem meritò: Ecclesia enim ad explicandas aliquas veritates quæ ex Scriptura vel traditione habentur, & ad excludendas quasdam hæreses, potest jure ac meritò excogitare, & consecrare quasdam voces, quæ non sunt in Scriptura, sic consecravit illa nomina *Consubstantiale*, *Ingenitum*, *Trinitas*, *Persona*, *Deipara*, *&c.*

Nota deinde, quod Eucharistia etiam

etiam post consecrationem *panis* vocetur, non ideo quod substantia panis remaneat, sed alia ratione, eaque multiplici. 1. Quia ex pane fuit consecrata. 2. Quia panis speciem habet. 3. Quia naturalem nutriendi corporis vim, quæ propria est panis, adhuc retinet. 4. Quia sicut panis nutrit corpus, ita & Eucharistia animam vegetat; & sicut vinum exhilarat, & inebriat hominem, ita & sanguis Christi spiritalem parit lætitiam, & ebrietatem, hisque de causis Eucharistia aliquando *vinum* dicitur.

Cur Eucharistia post consecrationem vocetur *panis*,

Alterum dogma fidei est, in Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, & non tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute.

Unde habeatur dogma realitatis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia.

Illud fidei dogma, quod his verbis definitum est in Conc. Trid. *sess.* 13. contra Calvinianos, aliosque negantes realitatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, habetur tum ex traditione, tum ex Scriptura, & maximè ex verbis istis institutionis illius, *hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus*, quæ verba in sensu proprio, & non merè figurativo intellexit semper Ecclesia Catholica, cujus est verum sensum Scripturæ explicare.

Nota, quod Eucharistia dicitur a

Quo sensu Eucharistia a Patribus dicatur *figura*.

Patribus, *figura*, *signum*, *Sacramentum* Corporis Christi, sed tunc consideratur secundùm externam speciem, seu externam sui partem, non verò secundùm id quod est internum & visibile; sic enim est veritas Corporis Christi, & non figura tantùm: vel dicitur figura; non vacua, sed plena veritatis, sicut columba dicitur figura Spiritus sancti, qui tamen illi realiter conjunctus erat; vel etiam dicitur figura, quia sub diversis speciebus panis & vini repræsentat Corpus, prout in Cruce immolatum est, & sanguinem prout effusus est; vel denique dicitur figura, quia figura est Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia.

An sola sumptione Corporis Christus existat in Eucaristia.

Observa, quod ex dogmate præsentiæ realis multa alia dogmata fidei inferuntur.

Primum dogma. Christi Corpus & Sanguis in Eucharistia sunt etiam extra usum hujus Sacramenti, seu sumptionem actualem, id est, ante, & post: & in particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur. Ita statuit Conc. Trid. *sess.* 13. *can.* 4. contra Lutheranos negantes Christum esse in Eucharistia ante & post Communionem, sed tantùm in actuali Communione.

An totus Christus contineatur sub alterutra specie, & sub singulis partibus utriusque.

Secundum dogma. Totus Christus, id est, cum Corpore, Sanguine, Anima, & divina Persona est sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione

no facta; ac proinde sub alterutra specie tantundem continetur, atque sub utraque. Ita Concil. *sess.* 13. *can.* 3.

Tertium dogma. Corpus Christi est sub specie panis, & Sanguis sub specie vini, *vi verborum*: ipsum autem Corpus sub specie vini, & sanguis sub specie panis, animaque sub utraque specie, *vi naturalis* illius *connexionis* & *concomitantiæ*, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur; divinitas porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. *Ita Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 3.

Quid cōtineatur *vi verborū* sub specie panis. Quid sub specie vini. Quid *per concomitantiā*.

Nota ergo, quod solum Corpus est sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini *vi verborum*, id est, ex vi & efficientia verborum; nam verba ex se tantùm id efficiunt quod significant, atqui verba consecrationis Corporis Christi significant tantùm adesse Corpus, ergo efficiunt tantùm, ibi adesse Corpus. Idem dic de verbis consecrationis Sanguinis. Unde si in triduo mortis Apostoli consecrassent panem, consecrassent tantùm Corpus sine Anima & Sanguine, attamen divinitati conjunctum, quod enim Verbum assumpsit, nunquam dimisit.

Quid sit *vi verborum*.

Si Apostoli consecrassent in triduo mortis, an Christi Corpus sine Anima, & Sanguine fuisset sub speciebus panis.

Nota deinde, quod, per concomitantiam & connexionem, ubicumque est Corpus, ibi & Sanguis, &

Anima, & Persona Verbi sunt; & ubicumque est Sanguis, ibi & corpus, & Anima & Persona Verbi sunt; nam cùm illa omnia actu in Christo conjungantur, in quacumque specie unum horum est, ibi & reliqua sint oportet.

An adoranda sit Eucaristia. Quartum dogma. Christus in Eucharistiæ Sacramento cultu latriæ, qui soli Deo debetur, cultu inquam latriæ etiam externo adorandus est, festiva celebritate venerandus est, & in Processionibus solemniter circumgestandus, ut adoretur. Ita definit Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 5. *& can.* 6. contra Hæreticos.

An Corpus Christi in Eucharistia possit dividi. Quintum dogma. Fractis, divisisque speciebus Corpus Christi non frangitur nec dividitur, sed integrum sub quacunque particula perseverat; canit enim Ecclesia, *fracto demum Sacramento, nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura*. Nam Corpus Christi in Eucharistia est impassibile, & indivisibile, cùm in ea sit in extensum.

An Corpus Christi corrũpatur in Eucharistia. Quandonã desinat esse sub speciebus. Sextum dogma. Etsi species interdum corrumpantur, corruptio tamen illa in Corpus Christi non redundat, utpote quod sit immortale & impassibile; cùm verò est consummata corruptio specierum, Corpus & Sanguis Christi desinunt esse sub illis.

An Christus sit ubique. Septimum dogma contra Ubiquistas. Corpus Christi non est ubique, sed est in cœlo ad dexteram Patris,

at in loco; in Eucharistia verò sub speciebus ubivis consecratis, ut in Sacramento: sicque Christus ut Deus est ubique, ut homo verò est duntaxat in Cœlo, & in Sacramento altaris: in Cœlo quidem, modo naturali & visibili, quo modo è Cœlo descendet judicaturus homines, in Sacramento verò, modo invisibili, & incomprehensibili.

Octavum dogma, contra Vviclefsum. Accidentia panis & vini in Eucharistiæ Sacramento sine subjecto remanent. Illudque dogma sequitur ex dogmate Transubstantiationis.

An accidentia remaneant, sine subjecto.

Nota, quod Christus sub alienis speciebus nobis dedit carnem suam ad manducandum; & sanguinem ad potandum, non autem in propriis speciebus tradidit: primò quia horrendum esset, si Caro & Sanguis in propriis speciebus sumerentur; sed convenientiùs sumuntur sub speciebus illarum rerum, quæ nutritioni hominis inserviunt, nempe panis & vini. Secundò, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur. Tertiò, ut fidelibus prosit ad meritum fidei.

Cur non in propria specie, sed sub speciebus panis & vini Corpus, & sanguinem dederit Christus.

Explicatur ultima pars definitionis Eucharistiæ.

Quænam gratia conferatur per Eucharistiã.

Dicitur ultimò *ad spiritalem hominis refectionem*: Per hæc ultima verba definitionis Eucharistiæ exprimi-

tur principalis & proprius effectus illius, qui est gratia habitualis, secunda scilicet, & quidem major & copiosior, quàm confertur in aliis Sacramentis, utpote isto minus excellentibus: quæ gratia habitualis, unà cum gratiis actualibus, quas habet annexas, pascit, vegetat, & delectat animam; efficit enim istud Sacramentum, quod traditur per modum cibi & potus omnem effectum in anima, quem cibus & potus naturalis efficiunt in corpore.

Quid efficiat Eucaristiæ gratia actualis.

An Eucharistia per se gratiam primam cum remissione peccatorum conferat.

Nota ergo, istud Sacramentum per se non conferre primam gratiam, nec proinde remissionem peccatorum mortalium per se operari, cùm sit Sacramentum vivorum & justorum; & ideo meritò condemnavit Conc. Trident. *sess.* 13. *can.* 5. Hæreticos, qui dicunt præcipuum effectum Eucharistiæ, esse remissionem peccatorum, vel ex ea nullos alios fructus provenire.

Quomodo Eucharistia sit antidotum contra peccata.

Nota 2. Ex Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. quod Eucharistia sit antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, venialibusque, & quo a peccatis mortalibus præservamur, quia per charitatem, quam operatur & auget, imminuit cupiditatem, roboratque animam contra tentationes carnis, mundi, & diaboli, tum internas, tum externas.

Quodnam inter Eucharistiã ut Sacramentum, & Eucharistiam, ut sacrificiũ sit discrimen.

Nota 3. Quod Eucharistia, ut est Sacramentum, ex opere operato prosit duntaxat sumentibus ipsam, &

non

non aliis; sed, ut est sacrificium, prosit tàm sumentibus, quàm non sumentibus. Deinde quod, ut Sacramentum est, remissionem pœnæ ex opere operato nullatenus operetur; ut sacrificium est, pœnam remittat, sed non semper totam.

Nota 4. Quod peccata venialia non omnem effectum Eucharistiæ impediunt; non enim impediunt augmentum gratiæ habitualis, sed sola mortalia, cùm Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. requirat ad dignam Eucharistiæ perceptionem, ut qui illam percipit, nullius sibi conscius sit mortalis peccati. Peccata igitur venialia, ea scilicet quæ actu committuntur, vel placent, impediunt alium effectum Eucharistiæ, nempe actualem delectationem spiritalem, seu etiam fervorem charitatis in ejus actibus; venialia enim peccata non opponuntur habitui charitatis, sed fervori actuum illius. Sic D. Thomas p. 3. q. 79. art. 3.

An peccata venialia ponant obicem effectibus Eucharistiæ.

De Communione, & præparationibus ad ipsam.

Quot sint modi quibus Christi Corpus manducetur. Quid sit Cōmunio sacramentalis tantùm. Quid spiritalis tantùm.

Nota 1. Quod ex Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. tres sunt modi manducandi Corpus Christi, seu quod Communio triplex sit.

Prima est Sacramentalis tantùm; sic peccatores Sacramentaliter tantùm manducant Corpus Christi, gra-

tiam verò Sacramenti non recipiunt.

Secunda est spiritalis tantùm; sic justi cum voto & desiderio Christum reipsa in Sacramento manducandi fide viva, quæ per charitatem operatur, spiritaliter tantùm manducant Christum, id est percipiunt effectum Sacramenti, nempe gratiam, licèt Sacramentum non percipiant.

Quid sit Sacramentalis, & spiritalis simul.

Tertia est Sacramentalis & spiritalis simul; sic justi charitate atque gratia præditi, cùm Sacramentum percipiunt, non solùm illud percipiunt, sed & fructum, & effectum illius.

An Eucharistia pueris administranda.

Nota 2. Quod pueris aliisque hominibus, qui nunquam usum rationis habuerunt, Eucharistiam administrare non licet: quamvis olim juxta antiquam Ecclesię disciplinam, statim post Baptismum, infantibus administraretur: quę disciplina haudquaquam culpanda est.

An peccatoribus deneganda sit Eucharistia

Nota 3. Quod peccatoribus manifestis & publicis, vel etiam de crimine, ex fama publica valde susceptis, denegari debet Eucharistia; & etiam occultis, si occultè ipsam petant, non verò, si petant publicè.

Quodnam sit peccatum illius, qui in statu peccati mortalis sumit Eucharistiã.

Nota 4. Quod nullus sibi conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere potest absque novo peccato mortali, eoque sacrilegio gravissimo; *judicium* enim *sibi manducat, & bibit*, ut ait Apostolus: ideoque statutum est in Concil. Trid. *sess.* 13. *canon.*

canon. 11. contra hæreticos, solam fidem non esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam: & ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur; statuit & declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam contritos se existiment, habita copia Confessoris, necessariò esse præmittendam Confessionem Sacramentalem juxta Apostoli præceptum, *probet autem seipsum homo*, quam probationem de Confessione sacramentali intelligendam esse, declarat consuetudo Ecclesiastica, ut docet idem Concilium *capit.* 7.

Quomodo intelligenda verba Apostoli, *probet autem seipsum homo*.

Observa igitur, quod is, qui est in statu peccati mortalis, antequam ad Eucharistiam accedat, debet illud peccatum eluere per sacramentalem Confessionem; quod non solùm a Christianis omnibus, sed etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris: quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur, id est, ut explicant Theologi statim post celebratam Missam, seu quàm citò fieri potest. *Concil. Trid. ibid.*

An confessio præmittenda sit necessariò Communioni.

Quid facere debeant Sacerdotes celebraturi, si eis desit copia Confessarii.

Nota 6. Quod, si urgente necessitate copia Confessarii desit alicui,

eliciat oportet Contritionem perfe-ctam nempe ex motivo charitatis. Et post sumptam Eucharistiam, tàm Sacerdotes, quàm alii ad sacrum Tribunal Pœnitentiæ quantocyus confugere debent, sed præsertim Sacerdotes, quibus sic præceptum est a Conc. Trid.

Quænam sint dispositiones ad Euchari-stiam su-mendam.

Nota 7. Quod præparationes ne-cessariæ ad communicandum sunt duplicis generis. Aliæ ex parte ani-mæ, quarum præcipua est immuni-tas a peccato mortali, seu status gratiæ. Aliæ ex parte corporis, quarum præcipua est, ut qui Eu-charistiam sumere cupit, jejunius sit, itaut, saltem a media no-cte antecedentis diei, usque ad illud temporis punctum, quo sumit Eucharistiam, nihil penitùs come-derit vel biberit: id enim non qui-dem Divino, sed Ecclesiastico ju-re præceptum est, primò propter reverentiam Sacramenti, ut scili-cet Corpus Domini, ante quem-cumque cibum & potum in sto-macum ingrediatur: secundò, pro-pter periculum vomitus, vel ebrie-tatis, que contingere possent.

An præ-ceptum sit jejunium naturale ante Com-munionē.

An sem-per serva-tum sit.

Observa tamen, Ecclesiam olim tolerasse, ut in die Cœnæ Domi-ni Eucharistia post cibum & potum a fidelibus sumeretur, in memoriam Cœnæ Domini.

An obli-get in om-nibus ca-sibus.

Observa deinde, illud præceptum non obligare in casu morbi pericu-losi; Corpus enim Christi per mo-

dum

dum Viatici potest dari etiam non jejunis, periculoso morbo laborantibus; ac præterea in aliis casibus necessitatis, ab Ecclesia probatis, ut v. gr. si quis post consecrationem, recordetur se non esse jejunum; debet enim nihilominus perficere sacrificium. Alios casus vide in Missali Romano de defectibus.

De necessitate Communionis, seu de necessitate Eucharistiæ sumendæ.

Nota 1. Quod Eucharistia non est ad salutem necessaria necessitate medii, itaut sine ipsa actu suscepta vitam æternam nemo consequi possit; dogma enim est fidei, hominem statim post Baptismum morientem, vel post sinceram & perfectam conversionem, vitam æternam consequi; unde antiquam parvulos communicandi disciplinam mutavit Ecclesia, docetque Synodus Tridentina *sess.* 21. *cap.* 4. parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem; atque antiquos Patres, communicando parvulos, ex probabili quidem sui facti causa, sed nulla salutis necessitate id fecisse.

An Eucharistia sit necessaria ad salutem.

Nota 2. Quod res seu effectus Sacramenti, qui est conjunctio cum

Chri-

Christo, & insitio Corpori ejus mystico, necessaria est ad salutem. Sic Patres dixerunt Eucharistiam parvulis esse necessariam ad salutem, & sic intellexerunt illam Domini sententiam: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; sicque esse intelligendam, constat ex traditione, & Ecclesiæ consensu. Uno verbo votum saltem implicitum suscipiendæ Eucharistiæ, quod in Baptismo continetur, sufficit ad salutem.

Quomodo hæc verba Christi intelligenda, *nisi manducaveritis carnem, &c.*

An Communio sit necessaria sub præcepto.

Nota 3. Quod Eucharistia necessaria est adultis necessitate præcepti tum Divini, tum Ecclesiastici: immò præcepto Ecclesiastico determinata sunt tempora exequendi præcepti Divini; nam ut de hodierna Ecclesiæ disciplina duntaxat hic fiat mentio, a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Canone *Omnis utriusque sexus &c.* præceptum est, ut adulti omnes singulis annis saltem in Paschate; id est, intra quindenam Paschalem communicent in propria Parochia: hocque præceptum a Conc. Trid. innovatum est *sess.* 13. *can.* 9. Præterea ut in mortis discrimine Viaticum Eucharistiæ ab infirmo recipiatur, consuetudo est Ecclesiastica, præcepti vim obtinens.

Quando nam obliget præceptum Communionis.

An etiam in mortis periculo.

Nota 4. Quod Divinum & Ecclesiasticum præceptum de Eucharistiæ sumptione parvulos non spectat, ut dictum est: hisce de causis. 1. Quod.

Cur parvulos non obliget illud præceptum.

Quod præcepti incapaces sunt; deinde quia probare se non possunt, secundùm Apostoli præceptum, *probet autem seipsum homo*; nec ullo devotionis sensu erga hoc Sacramentum affici possunt; denique per Baptismum regenerati & Christo incorporati, adeptam gratiam in illa ætate amittere non possunt.

Nota 5. Quod Communio sub utraque specie non est necessaria, neque necessitate præcepti divini, neque necessitate salutis, Laicis & Clericis non celebrantibus. Hoc dogma fidei contra Hæreticos hujus temporis probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ liberam olim permisit Communionem sub utraque, vel sub una tantùm specie. Immò infirmi communicabantur sub sola specie panis, & parvuli sub sola specie vini. Probatur denique ex Concilio Trid. quod definit illud dogma *sess.* 21. docetque, quod, etsi Christus in ultima Cœna hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio eo tendunt, ut omnes fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur; sed neque ex 6. cap. Joannis præceptum illud colligi potest, secundùm Patrum interpretationes. Qui enim dixit, *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Dixit quoque eodem,

An Communio sub utraque specie sit necessaria ad salutem, & præcepta à Christo Domino.

Unde habeatur non esse præceptā.

eodem capite: *Si quis manducaverit ex hoc Pane vivet in æternum*; docet præterea sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet nulla gratia ad Salutem necessaria eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Inde igitur inferas, sub alterutra specie Carnem Christi manducari, ejusque Sanguinem bibi: illumque manducare carnem, & bibere Sanguinem Christi, qui percipit solam speciem panis. Observa Conc. Trid. ibid. definitè Ecclesiam Catholicam justis de causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos & Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, & in eo non errasse.

An justis de causis Ecclesia Communionem sub specie vini Laicis interdixerit,

Quænam sint illæ causæ, & rationes.

Rationes verò, quibus adducta est, ut usum Calicis Laicis, & Clericis non consecrantibus prohiberet, hæ sunt, prima est, ob periculum irreverentiæ; periculum enim esset ne effunderetur species vini, si tantæ, quæ nunc est, fidelium multitudini propinaretur: deinde periculum esset, ne illa species acesceret si diutiùs pro infirmis communicandis asservaretur. Secunda ratio petitur ex abstemiorum, seu eorum, qui vini saporem & odorem ferre non possunt, numero. Tertia, petitur ex vini penuria in pluribus Provinciis. Quarta ratio est, ad con-

confutandam hæresim eorum, qui negant totum Christum, sub unaquaque specie existere, sed asserunt Corpus tantùm, idque exangue esse sub specie panis, & Sanguinem tantùm, eumque separatum a Corpore esse sub specie vini.

Nota 6. Quod Sacerdotes consecrantes Eucharistiam, hoc Sacramentum integrè sub utraque specie sumere tenentur, quia dum consecrant, offerunt sacrificium Corporis & Sanguinis Domini sub specie panis & vini, ac proinde de sacrificio integrè participes esse debent.

Quinam teneantur communicare sub utraque specie.

Observa, quod Sacerdotes celebrantes seipsos communicare possunt & debent, ut statuit Conc. Trid. contra Hæreticos aliter sentientes.

An sibi Eucaristiam administrare possint Sacerdotes.

Observa deinde, in hoc differre Eucharistiam, quæ in re permanenti, & non in usu consistit, ab aliis Sacramentis, quæ in usu & applicatione materiæ consistunt, quod ista nemo sibi, Eucharistiam verò Sacerdotes celebrantes sibi ministrare possint.

Nota 7. Quod ad solos Sacerdotes pertinet consecratio Eucharistiæ; solis enim Apostolis, & in eorum persona omnibus Sacerdotibus, potestatem contulit Christus, consecrandi Corpus & Sanguinem suum, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper intellexit, & docuit Ecclesia Catholica, inquit Conc. Trid. *sess.* 13. *can.* 2. at Eucha-

Quibus competat consecratio Eucharistiæ.

Quibus verò dispensatio.

chariſtiæ diſpenſatio licèt ad Sacerdotes jure pertineat, Diaconis tamen, urgente neceſſitate, ab Epiſcopo poteſt committi, tanquam Miniſtris extraordinariis; & hoc conſtat ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine; antiquitùs enim Diaconis committebatur diſpenſatio Corporis & Sanguinis Domini: licèt convenientiùs, juxta doctrinam D. Thomæ ipſis poſſit committi diſpenſatio Sanguinis, quia in vaſis porrigitur, quàm corporis, quod manu contrectatur 3. p. q. 83. art. 3.

An Diaconi olim Corpus, & Sanguinē. diſpenſarēt.

Nota 8. Quod Euchariſtia non ſolùm eſt Sacramentum, ſicque ipſi convenit definitio Sacramenti, quam modo tradidimus, ſed & præterea eſt ſacrificium ſicque ipſi competit definitio ſacrificii, ut mox explicabimus.

Quotuplici modo conſideretur Euchariſtia.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Quid eſt Sacrificium?

Eſt *Oblatio externa, ſoli Deo facta, quâ in recognitionem ſupremi ejus Dominii, à legitimo Miniſtro, res aliqua ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur & mutatur.*

Dicitur, *oblatio externa*, ut ſacrificium, quod eſt actus Religionis diſtinguatur ab aliis actibus internis ejuſdem Religionis, nempe a devotione & oratione & etiam ab oblatione externa, quæ lato modo tantùm dicuntur:

Sacrificiū eſt actus externus Religionis.

tur sacrificia, sicut etiam lato modo dicitur sacrificium quodcunque bonum opus, factum propter gloriam Dei.

Dicitur, *soli Deo*; nam soli Deo potest offerri sacrificium, cùm solus Deus sit supremus omnium Dominus, in cujus recognitionem sacrificium offertur. Cui offeratur sacrificium.

Dicitur, *in recognitionem ejus supremi dominii*: hic est enim finis sacrificii, nempe testificatio; tum nostræ servitutis, infirmitatis, & indigentiæ, tum reverentiæ nostræ erga supremam Dei Majestatem. Quis finis sacrificii.

Dicitur, *a legitimo Ministro*; soli enim Sacerdotes sacrificare possunt; unde excluduntur a ratione sacrificii propriè dicti oblationes privatorum hominum soli Deo factæ. Quis Minister sacrificii.

Dicitur, *quæ res sensibilis & permanens*, ut sacrificium distinguatur a precibus, genuflexionibus, & aliis, quæ etiam a Sacerdotibus fiunt actu externo, in reverentiam Dei, & tamen propriè non sunt sacrificia: ut etiam distinguatur ab aliis actionibus, v. g. Psalmodiis, cæterisque bonis operibus, quæ impropriè tantùm sunt sacrificia. Qualis sit materia sacrificii.

Dicitur, *ritu mystico consecratur*; res enim oblata, per actionem quandam, quæ fit circa ipsam, ex profana debet fieri sacra; inde enim sacrificium nomen ducit, & per hoc distinguitur ab oblationibus, primitiis, & decimis, circa quas nihil fit. Sacrificium cur sit dicatur.

Hinc

Hinc inferas omne ſacrificium eſſe oblationem, ſed non omnem oblationem eſſe Sacrificium.

Dicitur, *& mutatur*; nam res oblata mutari debet, id eſt, vel reipſa, vel modo quodam myſtico deſtrui: ratio enim ſacrificii in eo conſtat, quod illo Deum vitæ noſtræ ſupremum Dominum profitemur, ſimulque veneramur.

Quotuplex genus ſacrificii.

Nota, quod in veteri Teſtamento quadruplex erat ſacrificii genus. 1. *Latreuticum*, cujus finis erat ſolus Dei cultus & honor; hujus generis erat holocauſtum, quo tota victima comburebatur in honorem Dei. 2. *Propitiatorium*, ſeu pro peccato, cujus finis, præter Dei cultum, erat placatio irati Dei, & peccatorum remiſſio 3. *Euchariſticum*, cujus finis proprius erat gratiarum actio pro acceptis beneficiis 4. *Impetratorium*, cujus finis erat, novorum beneficiorum impetratio: ſacrificii autem *Pacifici* nomine intelligebatur ſacrificium, tum Euchariſticum, tum impetratorium.

Cur omnia ſacrificia veteris Legis abolita ſint.

Nota deinde, juxta doctrinam Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. ſacrificia illa omnia vetera, tàm Legis, quàm naturæ, præfiguraſſe ſacrificium novæ Legis, ſeu ſacrificium Miſſæ, quod illorum omnium eſt conſummatio & perfectio, complectens omnia bona, quæ per illa ſignificabantur, ideoque inſtituto iſto Sacrificio illa omnia ceſſare debuiſſe.

Quid

Quid est Missa?

Est *Sacrificium incruentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sub speciebus panis & vini; adhibitis quibusdam precibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, ad majorem Dei cultum, & ædificationem astantium.*

Dicitur, *sacrificium*, &c. Dogma enim fidei est, quod traditione maxime habetur, & Concilio Tridentino *sess.* 22. firmatur, contra novos Hæreticos, quod in Missa offertur Deo verum & proprium sacrificium; & quod offerri est aliud quàm nobis Christum ad manducandum dari. An Missa sit verum, & unicum novæ Legis sacrificium.

Docet præterea idem Concilium ibidem cap. 1. Quod Christus, ut relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum, repræsentaretur, atque illius virtus, in remissionem eorum, quæ quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit; & Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit, & ejusdem, eorumque successoribus in Sacerdotio, ut offerent præcepit per hæc verba, *hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Quandonam institutum a Christo Missæ Sacrificium.

„ Denique docet idem Concilium,

„ quod

Quomodo sacrificiũ altaris differat a sacrificio Christi.

„ quod una eademque est Hostia, „ idemque nunc offerens Sacerdotum „ ministerio, qui seipsum tunc in Cru„ce obtulit, sola offerendi ratione „ diversa; cujus quidem oblationis „ cruentæ fructus, per hanc in„ cruentam uberrimè percipiuntur; tantùm abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur, vel blaspemia irrogetur: hæc habet & decernit Concilium contra Hæreticos *ibid. cap.* 2. *& can.* 4.

An Christus etiamnum sit Sacerdos. Et an solus sit.

Nota etiam ex eodem Concilio ibid. Sacerdotium Christi ejus morte non fuisse extinctum; ipsumque Christum, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, Christum, inquam, quotidie seipsum offerre & sacrificare in altari Sacerdotum ministerio, & proinde Sacerdotes novi Testamenti esse tantùm illius Ministros & Vicarios.

Ex his omnibus patet Missam esse sacrificium, quod ulterius patebit, ostendendo definitionem sacrificii ipsi convenire.

Quanam oblatio sit de essentia Missæ.

1. Est *oblatio externa*; nam Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini, quæ sensibiles sunt, offeruntur Deo, in consecratione scilicet, in qua sola juxta communem sententiam consistit essentia illius sacrificii: nam oblatio panis & vini, quæ antecedit consecrationem, non est de essentia, sed de integritate illius, & quidem non requiritur, ut sit

sit vocalis; oblatio verò Corporis & Sanguinis Christi, quæ sequitur consecrationem, non est essentialis, sed est solemnis contestatio quędam qua protestatur tota Ecclesia, quæ Christi capitis nostri corpus est, quod seipso per ipsum Deo offerat.

2. *Soli Deo* offertur sacrificium Missæ; quamvis enim, ut docet Concil. Trid. cap. 3. in honorem & memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas, Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: ut ipsi de illorum victoriis gratias agendo, apud ipsum eorum patrocinia imploremus.

An Sanctis offeratur sacrificiũ.

3. *A legitimo Ministro offertur*; soli enim Sacerdotes sunt Ministri legitimi illius sacrificii, illique soli istud sacrificium celebrare possunt, ut docet ibid Conc. Trid.

Quis sit Minister sacrificii. Missæ.

4. *Consecratur, & mutatur Hostia* in Missa, quantum requiritur ad rationem veri sacrificii; verum quidem est Christum qui est Hostia hujus sacrificii, non revera mactari & occidi: sed Hostiæ realis occisio non requiritur in sacrificio incruento, quale est sacrificium Missæ; in veteri enim Lege erant vera sacrificia, etsi cruenta non essent. Talia erant sacrificia panis, & vini, &c. Tale fuit sacrificium Melchisedech, qui sacrificavit in pane & vino. Porrò Eucharistia est sacrificium incruentum, in quo Christus sub spe-

Quomodo Christus sacrificetur & mutetur in Missę sacrificio.

cie

cie cibi & potus, panis ſcilicet & vini offertur. Non ergo requiritur Chriſtum reverà occidi, ut verè & propriè ſacrificetur, ſed ſufficit, ut myſticè moriatur, quatenus conſeratione panis & vini, Corpus ejus & Sanguis in altari ſiſtuntur, & gladio verborum, ut ita dicam, ſeparantur: nam vi verborum ſolum Corpus ſub ſpecie panis, & ſolus Sanguis ſub ſpecie vini, eſſe incipiunt ſacramentaliter. Hæc autem reproductio Corporis & Sanguinis Chriſti, non ſolùm eſt mutatio realis, quæ per ſacrificii actionem producitur, ſed eſt etiam immolatio & mors myſtica, quæ ſufficit ad ſacrificium commemorativum, quo Paſſio Chriſti repræſentatur, & quo illius Paſſionis fructus applicatur fidelibus.

Quid ſit mors myſtica Chriſti quæ fit *vi verborum*.

Uno verbo, in ſacrificio incruento Miſſæ hoſtia mutatur: Chriſtus enim per conſecrationem reproducitur in altari, incipitque eſſe ſacramentaliter ſub ſpeciebus, ſicque ſub illis præſens ſiſtitur & offertur Patri: unde in hoc ſacrificio res oblata non præſupponitur ſacrificationi, ut in aliis ſacrificiis, ſed eſt terminus illius. Deinde Chriſtus ſub ſpeciebus reproductus, mactatur & moritur myſticè, ut explicatum eſt, unde inferas utriuſque ſpeciei panis ſcilicet & vini conſecrationem eſſe de eſſentia ſacrificii illius.

Per mutationem Chriſtus non reipſa deſtruitur, ſed ponitur præſens in altari.

Aliqui Theologi hanc afferunt ratio-

tionem, quod Corpus & Sanguis Christi per consecrationem accipiunt formam cibi & potus: cibus autem & potus ad manducationem & bibitionem, ideoque ad mutationem & destructionem ordinantur.

Christus ponitur in altari in ordine ad destructionem quoad esse Sacramentale.

Addunt alii quod Corpus & Sanguis Christi, non solùm ordinantur ad destructionem, sed & revera per manducationem Sacerdotis destruuntur, non quidem secundùm naturam suam, sed secundùm modum essendi sub speciebus Eucharisticis: unde existimant, sumptionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini pertinere ad essentiam sacrificii, licèt alii existiment pertinere tantùm ad illius integritatem, ac in sola consecratione positam esse essentiam illius, quia sola consecratio fit in persona Christi.

An sumptio Corporis, & Sanguinis Christi sit de essentia, vel de integritate tantùm sacrificii.

5. Denique in sacrificio Missæ Christus offertur in recognitionem & publicam contestationem summæ Dei Majestatis, ac dominii; nostræque infirmitatis, & dependentiæ. Hic est finis principalis sacrificii Missæ.

Nota 1. Fines sacrificii Missæ, & effectus esse quatuor; offertur enim 1. Ad exhibendum Deo cultum latriæ; sicque est Latreuticum. 2. Ad gratias Deo agendas pro beneficiis ab eo acceptis, sicque est Eucharisticum. 3. Ad placandum Deum, & remissionem peccatorum obtinendam;

Qui' sunt fines, & effectus sacrificii Missæ.

ſicque eſt Propitiatorium, & Satisfactorium. 4. Ad impetranda nova beneficia; ſicque eſt Impetratorium: hæcque omnia patent ex hoc Canone 3. ſeſſ. 22. Concilii Tridentini. „ „ Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium „ tantum eſſe laudis, & gratiarum „ actionis, ut nudam commemora- „ tionem ſacrificii in Cruce peracti, „ non autem propitiatorium; vel „ ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro „ vivis, & defunctis, pro peccatis, „ pœnis, ſatisfactionibus, & aliis „ neceſſitatibus offerri debere; ana- „ thema ſit.

An ſacrificium Miſſæ operetur ex opere operato, & quid operetur.

Nota 2. Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium, & ſatisfactorium ex opere operato quantum ad remiſſionem pœnæ; id eſt, infallibiliter in iis, quibus culpa remiſſa eſt, ſive vivi ſint, ſive defuncti, cùm illis, ex intentione Sacerdotis, iſtud ſacrificium applicatur, operari pœnæ peccatis debitæ remiſſionem, non quidem totalem, ſed juxta menſuram inſtitutionis Chriſti, & ipſorum diſpoſitionis.

An operetur & producat gratiam ſanctificantē.

Nota 3. Quod non eſt propitiatorium quantùm ad culpæ remiſſionem, per infuſionem gratiæ habitualis, ſine aliquo bono motu fidei, & contritionis, immediatè procurandam, ſicut & alia Sacramenta. Item Conc. Trid. ibid. cap. 2. attamen ad impetrandas gratias actuales, quibus peccatores ad contritionem perfectam, vel Confeſſionem Sacra-

men-

mentalem perducantur, sicque a peccatis solvantur, valet plurimum ex vi sua, id est, ratione operis quod peragitur, & ratione dignitatis Christi, qui est Sacerdos & victima; non tamen operatur illas gratias infallibiliter, sicut nec infallibiliter impetrat beneficia, tum spiritualia, tum temporalia, quæ per ipsum petuntur; Deus enim illa concedit quomodo, & quando ipsi visum fuerit. Hinc inferas Eucharistiam, ut sacrificium est, non operari gratiam habitualem & sanctificantem, quam ipsamet, ut est Sacramentum, operatur, sicut & alia Sacramenta operantur.

An valor sacrificii sit infinitus, vel finitus.

Nota 4. Quod licèt sacrificium Missæ sit infiniti meriti, & valoris, ratione rei oblatæ, & principalis offerentis; nempe Christi, est enim idem sacrificium, ac sacrificium Crucis; attamen effectus sacrificii, quatenus est satisfactorium pœnæque remissivum & applicatur ex intentione Sacerdotis celebrantis quibusdam speciatim finitus est, cùm se habeat per modum solutionis, quæ minuitur, cùm augetur numerus eorum, pro quibus offertur: ac proinde quantum ad hunc effectum, non tantùm prodest sacrificium, si pro pluribus offeratur, ac si pro uno solùm offerretur. Secùs autem dicendum est, si sacrificium consideretur, quatenus est impetratorium, tum gratiarum, tum beneficiorum temporalium, cùm vis

illa impetratoria respiciat infinitam Dei liberalitatem; effectusque impetrationis non sit infallibilis, sicut effectus satisfactionis: & proinde quantùm ad hunc effectum, tantùm prodest multis, quantùm uni.

An sacrificium operetur ex opere operantis.

Nota 5. Quod Missa celebratur a Sacerdote in persona Christi, in persona Ecclesiæ, & in persona propria; sicque operatur sacrificium ex opere operato, & ex opere operantis, tùm Ecclesiæ, tum Sacerdotis celebrantis.

An Missa boni Sacerdotis sit fructuosior Missa alterius.

Deinde nota, quod Missa boni pii-que Sacerdotis absolutè spectata, ut est sacrificium, & celebratur in persona Christi, non est fructuosior Missa mali Sacerdotis, neque quoad orationes ab eo factas nomine totius Ecclesiæ; fructuosior tamen est ob pietatem, & devotionem Sacerdotis offerentis & orantis.

Pro quibus offerri possit.

Nota 6. Quod sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus hominibus viventibus; primò quidem, & præcipuè pro fidelibus in communione Ecclesiæ existentibus; deinde verò pro omnibus etiam, qui sunt extra Ecclesiæ communionem, Infidelibus, Hæreticis, & Excommunicatis, ut scilicet convertantur: attamen eorum nomina non debent exprimi a Sacerdote celebrante, nec inter membra Ecclesiæ recenseri, maximè si sint excommunicati vitandi.

An pro Sanctis offerri possit.

Nota 7. Quod sacrificium offertur pro Sanctis in Cœlo regnantibus, ut

Eccle-

Ecclesia gratias Deo agat pro beneficiis quæ illis tribuit, & ut ad gloriam accidentalem ipsorum multum conferat: non verò offertur sacrificium pro ipsis ad remissionem pœnæ, vel ad gratiam, & gloriam essentialem ipsis obtinendam; sunt enim in termino; & gloria essentialis eorum augeri amplius non potest.

Nota 8. Quod sacrificium non potest offerri pro damnatis, cùm non possit illis prodesse ad remissionem peccatorum, nullus enim illis superest pœnitentiæ locus; nec ad remissionem, vel mitigationem pœnarum, quæ ex Dei immutabili decreto æternæ sunt; in inferno enim nulla est redemptio, verùm rite offerri potest pro animabus justorum, qui sunt in Purgatorio, & hoc quod est de fide, habetur maximè ex traditione, & confirmatur a Concilio Tridentino Canone supra laudato; itaque cùm Ecclesia in Missis pro defunctis postulat a Deo, ut *liberentur a morte æterna; de pœnis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, non pro damnatis orat, & reprobis, sed pro justis in Purgatorio detentis; qui Purgatorius locus dicitur *infernus, & tartarus*; & pro ipsis petit, non liberationem a morte æterna absolutè sumptam, sed liberationem a pœna Purgatorii, quæ liberatio a pœna est veluti appendix liberationis a morte æterna, quam ipsis jam Deus concessit, concedendo donum perseveran-

An pro damnatis

An pro animabus Purgatorii.

Quomodo intelligẽda sint hec verba, *libera eas de ore leonis*.

tiæ. Deinde Ecclesia considerat animas in Purgatorio existentes, eodem modo, ac si tunc migrarent ex hac vita: & pro ipsis orat, ut de morte æterna liberentur, non ut ipsam liberationem impetret, sed fructum illius liberationis, nimirum pœnarum remissionem, vel mitigationem, ac proinde accelerationem beatitudinis ipsarum: sic enim Ecclesia mysteria Christi, v. g. Nativitatem, Passionem, &c. ita considerat, ac si non essent præterita, eorumque consummationem postulat, non in se quidem spectatam, sed quantùm ad illorum fructum & effectum.

Additur in definitione Missæ, *adhibitis quibusdam precibus & cæremoniis ab Ecclesia, &c.* circa quæ, hæc sequentia notanda sunt.

Cur cœremoniæ institutæ sunt ab Ecclesia. An mutari vel omitti possint.

Nota 1. Ritè ab Ecclesia cœremonias institutas & præceptas esse, propter fines in verbis definitionis expressos; ipsasque sine peccato non posse ad libitum, aut ex negligentia prætermitti vel mutari a quolibet.

An licitæ sint Missæ privatæ.

Nota 2. Nullum errorem contineri in Canone Missæ, nec Missas privatas, id est, in quibus solus Sacerdos celebrans sacramentaliter communicat, vel quibus solus Minister assistit, illicitas esse, nec ritum summissè quædam proferendi aut

An Lingua Latina dicenda sit Missa. An aqua miscenda sit vino.

Lingua Latina, non vulgari Missam dicendi, aut aquam miscendi vino in Calice, damnandum esse, ut contendunt Hæretici, quorum hi erro-

res.

res damnantur a Concil. Trident. *sess.* 22.

Nota 3. Cœremonias Missæ spectare sacrificii locum, altaria, ornamenta, vasa, instrumenta, tempus, & ordinem eorum, quæ in Missa, tum dicuntur, tum peraguntur, ut videre est in Missali Romano, & in Theologis moralibus; quas cœrenias, earumque significationes apprimè callere debet quilibet Sacerdos.

Nota 4. Quod nomen Missæ derivatum est, juxta probabiliorem sententiam, a verbo *mitto*, seu a *missione* vel dimissione populi, quæ fit in fine Missæ, his verbis, *Ita Missa est*, quasi diceretur, ite missio fit: unde duplex olim distinguebatur Missa, prima, quæ dicebatur Catechumenorum, & durabat ab initio, usque ad offertorium, post Evangelium enim, & sermonem dimittebantur a Diacono Catechumeni, Infideles & Pœnitentes; alia verò, quæ dicebatur Fidelium, & durabat ab Offertorio, usque ad finem, post quem dimittebantur fideles.

Unde nomen *Missa* sit derivatum.

Quotuplex Missa erat antiquitus.

Quid Missa *Cathechumenorum*. Quid Missę *fidelium*.

PARAGRAPHUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quid est Sacramentum Pœnitentiæ.

EST *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatis relapsis, iisque contritis, confessis, & satisfacere proponentibus, a Sacerdote jurisdictionem habente, impenditur absolutio a peccatis.*

Quotuplex Pœnitentia.

Dicitur 1. *Sacramentum*; distinguitur enim duplex Pœnitentia, alia, quæ est virtus, alia quæ est Sacramentum. Pœnitentia, quæ est virtus, est ipsamet Contritio, quæ definietur infrà; Pœnitentia verò quæ est Sacramentum, est Pœnitentia interior; quatenus fit exterior Confessione peccatorum coram Sacerdote, & conjunctam habet absolutionem.

Unde habeatur, quod pœnitentia sit Sacramentum.

Quod sit Sacramentum novæ Legis, seu signum efficax gratiæ, a Christo institutum, colligitur præcipuè ex illis verbis Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: quorum retinueritis, retenta sunt:* quæ verba, de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœ-

Pœnitentiæ semper intellexit Ecclesia: non verò de authoritate prædicandi Evangelium: sicque docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *can.* 3. contra Novatores, qui secuti sunt hæresim Montanistarum & Novatianorum, negantium hanc potestatem Christum dedisse Ecclesiæ. Quinam erraverint circa Pœnitentiã.

Porrò Sacramento Pœnitentiæ non possunt remitti peccata, quin eodem Sacramento conferatur gratia, cùm justificatio consistat in infusione gratiæ, ergo est signum efficax gratiæ. Institutio Sacramẽti Pœnitentiæ.

Dicitur 2. *a Christo institutum*; Dominus enim Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm a mortuis excitatus in discipulos suos insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* verba sunt Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1.

Circa quæ nota dici Christum præcipuè tunc instituisse istud Sacramentum, cùm dixit hæc verba, *Accipite &c.* Joan. 20. cap. post Resurrectionem suam, qui ante Passionem promiserat institutionem illius his verbis relatis a Matthæo capit. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*; quæ verba ad institutionem hujus Sacramenti pertinere declaravit Concil. Trident. *cap.* 10. contra Hæreticos dicentes, horum verborum virtute, quemlibet posse

absolvere a peccatis per correptionem vel spontaneam Confessionem; nec solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis.

Quid sit *ligare*. Quid *solvere*.

Observa, quod Sacerdotes ligant, cùm peccata justas ob causas retinent, beneficiumque absolutionis negant, vel ad tempus suspendunt, item cùm Pœnitentibus satisfactiones imponunt; solvunt verò cùm Pœnitentes rectè dispositos absolvunt, & ad Sacramentorum administrationem admittunt, vel cùm de ipsa satisfactione aliquid remittunt, justis de causis.

De subjecto Sacramenti Pœnitentiæ.

Dicitur 3. *baptizatis relapsis*; nam licèt ante Baptismum necessaria sit Pœnitentia, immò & quovis tempore fuerit necessaria ad gratiam assequendam, non est tamen Sacramentum, nec esse potest ante Baptismum, ut docet Conc. Trid. ibid. cap. 1. Baptismus enim est janua Sacramentorum. Hinc inferas ante adventum Christi Pœnitentiam non fuisse Sacramentum.

Quibus necessariũ Sacramentum Pœnitentiæ, & quomodo,

Deinde illis baptizatis duntaxat administrari potest Pœnitentiæ sacramentum, qui lapsi sunt in peccatum, unde vocatur secunda post naufragium tabula: immò & illis qui lapsi sunt in mortale peccatum, necessarium est tum necessitate præcepti, tum necessitate medii itaut si adsit Sacerdos, & facultas illius suscipiendi in re suscipi debeat, ut docet Conc. Trid. Si verò desit facul-

tas

tas & Sacerdos, sufficiat illius votum saltem implicitum, quod in Contritione continetur.

Nota ergo, quod Sacramentum Pœnitentiæ distinctum sit a Sacramento Baptismi, quippe quæ sit secunda post naufragium tabula, sicut definivit Conc. Trid. *sess.* 14. *can.* 2. contra Hæreticos.

Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ differat a Baptismo.

Porrò, ut docet idem Concilium ibid. cap. 2. non solùm differunt illa duo Sacramenta ratione materiæ, & formæ; sed etiam quia Minister Pœnitentiæ, non verò Baptismi est judex. Unde Pœnitentiæ Sacramentum solis baptizatis ministrari potest, cùm Ecclesia de iis qui foris sunt, non possit judicare, juxta Apostolum. 2. Quia Baptismus iterari non potest, at Pœnitentes absolvi possunt quoties rectè dispositi ad tribunal Pœnitentiæ confugiunt. 3. Quia in Baptismo semper tota pena temporalis remittitur, non verò tota semper remittitur in Sacramento Pœnitentiæ, ideoque meritò Penitentia *laboriosus quidam Baptismus* a sanctis Patribus dicta est.

De materia Sacramenti Penitentiæ.

Dicitur 4. *Contritis*; definivit enim Conc. Trid. *cap.* 3. tres Pœnitentis actus, nempe Contritionem, Confessionem, & satisfactionem esse quasi materiam hujus Sacramenti, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac

ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.

Circa quæ nota 1. Hos actus dici partes, materiales scilicet; absolutio enim est forma hujus Sacramenti, ut docet Concil. *ibid.*

An Contritio, & Confessio sint de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, an etiam satisfactio.

Nota 2. Contritionem, & Confessionem esse de essentia hujus Sacramenti, cùm sine illis nullum sit; Satisfactionem verò, seu impletionem, & executionem Pœnitentiæ a Sacerdote impositæ pertinere tantùm ad integritatem illius, cùm ante illam validum sit istud Sacramentum, & gratiam conferat; illaque Satisfactio valeat tantùm ad solutionem pœnæ temporalis, ac satisfaciendi propositum verè est de essentia illius Sacramenti.

An Contritio, & Confessio suppleri possint.

Nota 3. Quod Contritio ita est essentialis, ut nullatenus suppleri possit: at Confessio suppleri potest in extremo vitæ periculo, ut dicetur infrà.

An Contritio debeat esse etiam exterior.

Nota 4. Quod licèt Contritio secundùm suam essentiam sit in corde, attamen sit sensibilis & exterior per signa doloris, per Confessionem & Satisfactionem; sicque est pars Sacramenti.

Cur hi actus dicantur a Concilio *quasi materia* hujus Sacramenti.

Nota 5. Quod hi actus dicuntur a Concilio *quasi materia* hujus Sacramenti, vel quia veræ materiæ rationem non habent, ut existimant quidam Theologi, qui in sola absolutione totam essentiam hujus Sacramenti constituunt, vel, ut verius est,

quia

quia non sunt aliquid, quod exterius adhibeatur & applicetur suscipienti, ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione; vel etiam quia absolutionem semper præcedere debent, immò & ipsam præcedere etiam longo tempore possunt, cùm tamen in aliis Sacramentis forma comitari debeat materiæ applicationem.

Nota 6. Quod hi actus sint materia proxima hujus Sacramenti, materia verò remota & destruenda, sunt peccata actualia, tum mortalia, tum venialia, non verò originale peccatum, quod remittitur Baptismo. Mortalia sunt materia necessaria hujus Sacramenti, quia sine ipso, vel ejus voto remitti non possunt; peccata autem venialia sunt materia sufficiens, non necessaria: nam docet Conc. Trid. *cap.* 5. ipsa rectè & utiliter in ipsa Confessione dici, taceri tamen extra culpam, multisque aliis remediis expiari posse.

Quænam materia proxima, quænam remota hujus Sacramenti.

Quid sit materia necessaria Quid sufficiens.

Quomodo autem peccata venialia expiari possint sine Sacramento Pœnitentiæ, explicat D. Thomas 3. *p. q.* 87.

Itaque observandum est 1. Cum ipso, ad remissionem peccati venialis requiri virtutem Pœnitentiæ; non enim remitti potest, quamdiu illi adhæret voluntas, non autem requiritur actualis Pœnitentia, sed virtualis sufficit, puta cùm quis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid si occurreret,

An ad remissionē peccati venialis requiratur actus Pœnitentiæ saltem virtualis.

ret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret, se hæc commisisse, etiam si de actu illo non cogitaret, *Ita D. Thom. 26. art. 1. in corp.*

An requiratur infusio gratiæ habitualis.

Observandum 2. Quod cum peccatum veniale non contrarietur habituali gratiæ, vel charitati, sed retardet actum ejus, in quantum nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra Deum, ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis ad ejus remissionem; quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum, ideo quandocunque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur, *Ita D. Thomas loco citato art. 2. in corpore.*

Quotuplici modo possint remitti venialia.

Observandum 3. Aliqua, triplici ratione causare remissionem peccatorum venialium: primo modo in quantùm in eis infund'tur gratia; & hoc modo, per Eucharistiam, Extremam Unctionem, & alia Sacramenta remittuntur peccata venialia. 2. In quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & hoc modo Confessio generalis, Tunsio pectoris, Oratio Dominica operantur remissionem venialium. 3. In quantùm sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad

& ad res divinas; & hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & reliqua ejusmodi operantur ad remissionem venialium. *D. Th. ibid. articulo* 3.

An unum veniale possit sine aliis remitti.

Observandum denique quod licèt unum peccatum mortale non possit remitti sine aliis, quia peccatum mortale contrariatur habituali gratiæ, & charitati; attamen unum veniale quod displicet, potest remitti sine alio veniali, cui actualiter voluntas inhæret, quia peccatum veniale non excludit omnem actum gratiæ, per quem possunt omnia venialia dimitti. Hinc etiam inferas nullum peccatum veniale posse remitti sine mortalibus omnibus, quia peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale, vel veniale remittitur. *Ita D. Thom. ibid. art.* 4.

Definitio Contritionis genericè sumpta.

Contritio generaliter sumpta sic definienda juxta Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. *animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, cum spe veniæ, & voto ritè suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.*

Unde nomen Contritionis derivetur.

Dicitur 1. *animi dolor*, id est, dolor non sensus, non partis inferioris; sed cordis, & voluntatis, cujus durities veluti contînetur, unde nomen Contritionis derivatur.

Dicitur 2. *detestatio*, seu odium, ex quo oritur dolor; Contritio itaque

que non solùm est novæ vitæ inchoatio, & cessatio a peccatis, sed etiam veteris odium continet, ut statuit Conc. Trid. *ibidem* contra Lutherum & alios Hæreticos.

Quænam sit materia Contritionis.

Dicitur 3. *de peccato commisso*, id est, proprio perpetrato seu commissione; seu omissione ; non verò originali, vel alieno ; immò de omnibus peccatis saltem mortalibus, nullo excluso, esse debet, alioquin nulla esset, sed ficta & falsa.

An unum peccatum mortale non possit remitti sine aliis.

Dicitur 4. *cum proposito non peccandi de cætero*, id enim ratio ipsa reconciliationis postulat : deinde sine tali proposito Contritio non esset efficax, sed inefficax, & omnem affectum peccandi non excluderet, sicque non esset vera Contritio.

Dicitur 5. *cum spe veniæ*, alioquin infructuosa esset Contritio, qualis fuit Contritio Cain, & Judæ traditoris.

An amor Dei vel perfectus, vel saltem imperfectus ad Cōtritionem in genere requiratur Votū saltem implicitum Sacramenti Pœnitētiæ requiritur ad veram Contritionem.

Nota quod Contritio, cum spe includere debeat amorem Dei, qui Deus incipiat amari tanquam fons omnis justitiæ, ut ait Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. id est, quo Deus incipiat amari sive ut in se justus est, sive ut Author nostræ justitiæ, ut dicetur infrà.

Dicitur 6. *& cum voto ritè suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ*, id est, Contritio includere debet propositum ritè confitendi peccata, absolutionis consequendæ, & satisfaciendi pro peccatis.

Nota quod sufficiat hujusmodi votum

tum implicitum, immò nullatenus requiritur ante Baptismum, cùm sufficiat votum Baptismi, tuncque Sacramento Pœnitentiæ non sit locus; sicut etiam votum istud nullatenus requirebatur ante Legem gratiæ cùm nondum fuerat institutum Sacramentum Pœnitentiæ, licèt, ut ait Concil. Trident. Contritio ipsa quovis tempore necessaria fuerit ad impetrandam veniam peccatorum.

Contritio duplex est, perfecta & imperfecta; perfecta, quæ simpliciter dicitur *Contritio*; imperfecta, quæ *Attritio* dicitur. Hæc divisio est Concil. Trid. *cap.* 4. — Quotuplex Contritio.

Contritio perfecta definitur secundùm mentem ejusdem Concilii, *animi dolor de peccato, charitate perfectus, cum proposito non peccandi de cætero, cum spe veniæ, & voto ritè suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.* — Quid sit Contritio perfecta.

Contritio verò imperfecta, seu Attritio definitur ab eodem Concilio, *animi dolor de peccato, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter conceptus, voluntatem peccati excludens, cum spe veniæ, & voto ritè suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.* — Quid Contritio imperfecta.

Nota ergo ex his, Contritionem, & Attritionem secundùm se sumptas, differre in hoc, quod Contritio charitate sit perfecta, id est, eliciatur ex solo motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, quo Deus propter se, & prout in se bonus est, — Quomodo Contritio, & attritio a se invicem differant. 1. Ex parte motivi. quodnam motivum Contritionis. Quænam motiva Attritionis.

est, diligitur. Attritio verò eliciatur ex aliis motivis, nempe ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, & pœnarum vel ex alio motivo quocumque superna. turali, seu per fidem divinam cognito, cum gratia, seu impulsu Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis.

2. Ex parte effectus.

Nota 2. Quod Contritio & Attritio differunt præterea in effectu, ex eodem Concilio, & in eo quod contritio, quę charitate formata & perfecta est, hominem Deo reconciliet, antequam actu suscipiat Sacramentum Pęnitentiæ non tamen sine illius voto; Attritio verò sine Sacramento pœnitentiæ peccatorem ad justificationem non possit perducere, sed ad ipsam in Sacramento impetrandam disponat, & quidem proximè atque sufficienter, ut infertur ex eodem Concilio; sic verum est istud Theologorum axioma. *Homo ex attrito fit Contritus per Sacramentum Pœnitentia*, non quod Attritio fiat Contritio formaliter, sed quod juncta Sacramento æquivaleat Contritioni, sufficiatque cum ipso, ut quis gratiam habitualem recipiat, habitusque charitatis & Pœnitentiæ, quibus fiat habitualiter contritus, & quibus deinde possit elicere actus Charitatis & Contritionis.

Quomodo Attritio disponat ad gratiā recipiendā in Sacramento Pęnitentiæ. Quomodo intelligēdum illud axioma; *ex attrito homo fit contritus per Sacramentũ Pœnitentiæ*. Qualis debeat esse attritio ut sit sufficiens dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Nota 3. Quod attritio, quæ est dispositio sufficiens ad reconciliandum Deo peccatorem cum Sacramen-

mento Pœnitentiæ, non debet esse naturalis, id est, non debet concipi ex solis naturæ viribus, & propter rationes naturales, cùm v. gr. aliquis dolet de peccatis. Quia sunt contra rationem & honestatem naturalem, quia infamiam pariunt coram hominibus, quia damnum temporale inferunt, &c. talis fuit attritio Esau, & Antiochi: sed debet esse supernaturalis, tum ratione principii, tum ratione motivi, id est, debet concipi ex auxilio gratiæ supernaturalis, & ex motivo supernaturali, & fide divina cognito; quia peccatum v. gr. odium, & iram Dei in nos concitat, Deique privationi, aliisque pœnis æternis nos reddit obnoxios.

Nota 4. Quod juxta probabiliorem Theologorum sententiam illa Attritio debeat respicere Deum peccatis offensum, & quod debeat includere amorem Dei super omnia saltem imperfectum, & correspondentem virtuti spei, ille enim qui verè attritus est, debet dolere de peccatis suis, a Deo separatum esse, ipsiusque possessione privatum, ac proinde debet amare Deum super omnia bona, tanquam summum suum bonum, nec in se tanquam in ultimo fine sistere. *Attritio debet includere amorem Dei imperfectũ.*

Nota 5. Quod Attritio concepta ex metu gehennæ, & pęnarum inferni, modo excludat voluntatem peccandi, sicque non in creatura tan- *An Attritio propter metũ gehennæ sit bona, & supernaturalis.*

tanquam in ultimo fine consistat, sed ad Deum referatur tanquam ad ultimum finem & summum omnium bonorum, cujus amorem includat, dispositio bona est, & utilis ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, ut definit Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 5. contra Hæreticos, dicentes illam Attritionem facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, non liberum, ac voluntarium.

Quandonã fit bona, & supernaturalis.

Porrò Attritio illa ex metu pœnarum, voluntatem peccandi excludit, cùm quis non solùm pœnæ, sed & peccati odium concipit, simul cum proposito ampliùs non peccandi: quod autem hæc præstare possit, patet ex Conc. Trid. & licèt illa oriatur ex timore servili, timor ille, cùm non sit *serviliter* servilis, ut ajunt Theologi, non est malus, sed bonus, ut definit idem Concilium.

Quotuplex timor servilis. Quisnam bonus, quisnam malus.

Timor ergo servilis duplex; servilis *serviliter*, in quo tota ratio, tam impulsiva, quàm finalis dolendi de peccato, est fuga & odium pœnæ, cùm nempe aliquis ita cum illo dolore affectus remanet, ut, si nullæ essent pœnæ inferni, non doleret, nec curaret de ipsis. Timor servilis *simpliciter* est ille, in quo fuga pœnæ est tantùm ratio impulsiva, & veluti occasio, non verò causa finalis, cur velit quis a peccatis abstinere:

nere: vel ille est, in quo fuga pœnæ non est finis totalis & ultimus, sed tantùm proximus illius, qui vult a peccatis abstinere, & dolet de ipsis: illam enim fugam pœnæ, saltem virtualiter refert ad æternæ vitæ desiderium, & ad amorem Dei imperfectum, quatenus ex tali metu pœnæ movetur ad dolendum de peccato, & ad bene operandum tum ne pœnam illam patiatur, tum etiam ne æterno & summo bono privetur. Timor servilis *serviliter* de Deo illiusque fruitione nihil curat, solamque peccati executionem, actionemque externam, interno affectu remanente, impedit, ideoque malus est; timor verò servilis *simpliciter* voluntatem ipsam immutat, affectumque peccandi tollit, & ad Deum aliquo modo convertit & proinde bonus est, & ex impulsu Spiritus Sancti procedit.

Nota 6. Quod quæritur a Theologis, an Attritio maximè illa, quæ concipitur ex metu pœnarum, ut sit dispositio proxima, & sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, necessariò debeat includere aliquem, seu inchoatum amorem Dei super omnia, quo Deus propter se diligitur, & ut in se bonus est: uno verbo aliquem charitatis gradum; an verè sufficiat, quod amorem Dei imperfectum, virtuti spei correspondentem includat.

An amor Dei quem includere debet Attritio, debeat esse amor charitatis saltem inchoatus.

Sed notandum, quod quæstio hæc

non

Nihil de hac re definivit Ecclesia.

non spectat ad fidem, cùm super hac quæstione nihil definitum sit nihilque certi colligi possit, tum ex Scriptura, tum ex traditione, tum ex Conc. Trid. ideo Theologorum alii contendunt aliquem charitatis gradum requiri in Attritione, ut sit dispositio sufficiens ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam

Proponũtur argumenta sententiæ affirmativæ.

hisque rationibus moventur. Primò, quod, ut ait D. Joan. *Qui non diligit, manet in morte.* 2. Quod, *tantùm*, ut ait D. Augustinus, *quisque peccare odit, quantùm justitiam diligit.* 3. Quod Conc. Trid. in Pœnitentibus præter spem requirit, ut Deum amare incipiant tanquam fontem omnis justitiæ. 4. Quod sine charitate, remaneat inordinata voluntas, cùm agat ex amore sui, & plus timeant pœnam, quàm peccatum ipsum.

Proponũtur argumenta sententiæ negativæ.

Alii verò Theologi negant aliquem gradum charitatis requiri in Attritione, sed ad summum requiri concedunt, amorem Dei imperfectum, qui virtuti spei correspondet; ob istas rationes. 1. Eo quod minima charitas, non solùm habitualis, sed etiam actualis, etiam extra Sacramentum actu susceptum, reddat hominem Deo gratum & dilectum, & proinde justum; itaut, qui in illa minima charitate moreretur, non damnatus, sed beatus esset. 2. Eo quod Sacramenta mortuorum, Baptismi nempe, & Pœnitentiæ, dum actu conferreptur, nunquam

quam producerent primam gratiam, cùm jam producta esset per charitatem, quæ licèt minima, vera tamen est charitas. 3. Quia Scriptura, Patres, & Conc. Trid. cùm amorem Dei requirunt ad justificationem, intelligi debent de amore quidem charitatis extra Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, & de amore Dei imperfecto, qui virtuti spei correspondere debeat, cùm illa actu suscipiuntur. 4. Quia ille amor, licèt sit concupiscens, non tamen est inordinatus; sicut nec timor, quo magis pœna timetur, quàm peccatum; siquidem tum amor ille, tum timor referuntur ad Deum tanquam ad finem ultimum.

Observa circa has diversas sententias, quod etsi quibusdam secunda videatur probabilior, prima tamen, quæ requirit aliquem charitatis gradum in Attritione est tutior, & proinde in praxi tenenda; cùm maximè agatur de materia necessaria Sacramenti, & facile sit cum gratia divina, eum, qui verum Dei amorem habet, licèt imperfectum ad virtutem spei pertinentem, concipere aliquem gradum amoris charitatis: amor enim virtutis spei, proximè accedit ad amorem charitatis, & est veluti inchoatio illius.

Nota 7. ad Contritionis perfectæ actum eliciendum, teneri peccatorem, maximè in periculo mortis, & quotiescumque aliquod Sacramentum vivo- Quandonam teneamur ad actum Contritionis.

vivorum percipiendum ab ipso, aut administrandum est, si desit copia Confessarii: tuncque non teneri ad tot actus Contritionis eliciendos, quot numero commissa sunt peccata, sed ad unum tantùm actum, qui feratur in omnia; & singula peccata, quae, praemisso diligenti examine, memoriae occurrunt, & in reliqua, quae non occurrunt. Idem dicendum de Attritione quae conjungitur cum Sacramento Poenitentiae.

An tot numero eliciendi actus Contritionis, quot sunt peccata commissa.

Nota 8. Contritionis perfectae dolorem, ad obtinendam peccatorum remissionem, debere esse summum & maximum, ut dicunt Theologi de amore charitatis, si non intensivè, saltem aestimativè & appretiativè, id est, debere odio haberi peccatum, tanquam summum detestabile, & super omnia detestabilia, saltem in genere; non verò requiri, ut sit vehementissimus, & acerrimus; multi enim, etiam citra culpam, majori doloris sensu afficiuntur ex malis sensibilibus, quàm ex turpitudine peccati.

Quomodo dolor Contritionis debeat esse summus.

Dicitur, *confessis*, in praemissa definitione Sacramenti Poenitentiae, quia Confessio est altera pars materialis hujus Sacramenti.

De Confessione.

Confessionem Sacramentalem esse institutam a Christo, & ad salutem necessariam esse jure divino iis, qui post Baptisma lapsi sunt in aliquod peccatum mortale definit Conc. Trid. *sess.* 14. haecque definitio fidei conformis

Institutio Confessionis.

formis est tum traditioni, tum Scripturæ sacræ; Christus enim, 20. capite Joannis, dicens Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* constituit illos Judices, ad quos omnia crimina deferantur, deditque illis judiciariam potestatem solvendi, & ligandi: at potestatem illam exercere non possunt, incognita causa, nec æquitatem servare possunt in injungendis pœnis, si in genere tantùm, & non in specie, & sigillatim omnia peccata mortalia, ipsis declarentur; patet ergo ex Scriptura Confessionem esse institutam a Christo, & jure divino esse necessariam.

Nota 1. Quemlibet Christianum, postquam ad annos discretionis pervenerit, id est, cùm potest discernere inter bonum & malum, ad Confessionem peccatorum mortalium, præcepto divino teneri, ut docet *ibid.* Concilium Tridentinum. De necessitate Confessionis.

Nota 2. Quod Ecclesia in Lateranensi Consilio Canone *Omnis utriusque sexus*, statuit, ut præceptum illud impleretur saltem semel in anno: licèt autem quolibet anni tempore impleri possit, attamen Quadragesimæ Tempore, & maximè in Paschate propter Communionem impleri præstat. De præcepto Ecclesiastico Confessionis.

Observa sacrilega Confessione præceptum illud impleri non posse, ac proinde illam Confessionem iterandam esse, ut satisfiat præcepto.

An necessaria confessio ante Eucaristiam, & alia Sacramenta.

Nota 3. Quemlibet conscium sibi peccati mortalis, quantùm sibi contritus videatur, teneri ad Confessionem Sacramentalem, antequam ad Eucharistiam accedat, secundùm illud præceptum Apostoli: *Probet autem seipsum homo*, & decretum Conc. Trid. in urgente autem necessitate, cùm deest copia Confessarii, præceptum istud non obligat, ut dictum est supra.

Ante susceptionem vel administrationem aliorum Sacramentorum necessaria non est Confessio ei, qui perfectam habet Contritionem; attamen cùm non facilè quis existimare debeat se esse perfectè contritum, semper præmittenda est Confessio, si facultas adsit, ne fortè sacrilegium committatur.

An in periculo mortis, præcepto divino necessaria sit Confessio.

Nota 4. Quemlibet teneri ad Confessionem, quoties imminet periculum mortis: Lex enim naturalis & divina obligant ad nihil præmittendum, quod ad salutem conferre possit.

An statim post peccatum necessariò facienda Confessio.

Nota 5. Præceptum Confessionis non obligare statim atque aliquis in peccatum lapsus est: illud enim præceptum est affirmativum, quod proinde tantùm certo tempore obligat, non verò pro semper.

Alii casus in quibus necessaria est Confessio.

Nota 6. Probabile esse, quod Confessio necessariò facienda est, quando prudenter judicatur necessaria, ne quis sæpiùs labatur in peccatum vel propter alias causas similes.

Con-

Confessio definitur, *accusatio peccatorum secreta & integra, facta a Pœnitente Sacerdoti ad obtinendam illorum absolutionem, virtute clavium*: Definitio Confessionis.

Dicitur *accusatio peccatorum*, non verò simplex narratio, multò minùs excusatio; item peccatorum propriorum, non alienorum, nisi iis Pœnitens cooperatus fuerit, directè vel indirectè; complicum verò nomina nunquam declaranda sunt, nisi fortè id exigat integritas Confessionis; si enim Pœnitens speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo speciem peccati, exprimat personam. Ita D. Thomas opusculo 12. Ita D. Bonaventura, & S. Antoninus. An peccata aliena cōfitenda. An nominandi cōplices.

Dicitur *secreta*, tàm ex parte Pœnitentis, quàm ex parte Confessarii; ex parte quidem Pœnitentis, quia licèt Christus non vetuerit, quin aliquis, in vindictam peccatorum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non tamen hoc præcepit, ut ait *Conc. Trid. sess.* 14. nec satis consultè Ecclesiastica Lege præciperetur, ut delicta maximè occulta, publica essent Confessione aperienda. De secreto Confess. sionis.

Nota, quod Confessio debeat fieri a Pœnitente ore proprio, non per inter- De confessione per litteras, & per interpretem.

terpretem, & non per litteras, nisi adsit causa legitima, cùm v. g. Lingua Pœnitentis ignota est Confessario.

Nota 2. Quod nunquam liceat, per litteras vel per internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolvi; prohibitum enim fuit a Clemente VII. ideoque tales Confessiones nullæ sunt.

Quid sit sigillū Confessionis.

Ex parte etiam Confessarii Confessio secreta esse debet; sigillum enim Confessionis, seu obligatio celandi ea omnia, quæ in Confessioni sacramentali declarata sunt, sive peccata, etiam venialia, sive ea omnia quæ dicta sunt ad illa declaranda, quamvis etiam absolutio non consecuta sit, est de jure naturali, sicut quodlibet secretum, est de jure divino sicut ipsamet Confessio, ne Confessio scilicet reddatur odiosa: unde violatio hujus sigilli, sive directa, sive indirecta, grande est sacrilegium, nec ulla est potestas in terris, quæ possit dispensare ab illa obligatione sigilli, vel possit cogere ad violationem ipsius, propter quamcumque causam, etiamsi de salute totius Reipublicæ ageretur; denique illa obligatio sigilli confessionis est etiam de jure Ecclesiastico, præcipitur enim ab Ecclesia sub gravissimis pœnis, ac maximè sub pœna depositionis & perpetuæ Pœnitentiæ.

Quo jure præceptū sit illud sigillum.

An aliquando violari possit.

Quænam pœnæ illud violātibus decretæ.

Nota, quod non solùm Sacerdos, qui est Minister Pœnitentiæ, sed & alii

alii omnes, qui peccata Pœnitentis ex Confessione, aut cum ordine ad illam, sive immediatè, sive mediatè cognoverunt, lege sigilli tenentur. Quinam teneantur illo sigillo.

Dicitur *integra*; nam a Conc. Trid. *cap.* 5. *&* *can.* 7. definitur, necessarium esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta: & præterea circumstantias, quæ speciem peccati mutant. De integritate Confessionis.

Nota 1. In Confessione explicanda esse peccata mortalia, secundùm speciem, numerum, & circumstantias quæ speciem peccatorum mutant, immò & circumstantias, quæ notabiliter aggravant, & augent malitiam eorum in eadem specie: sic enim censent plures Theologi, quorum sententia est probabilior, & tutior atque secunda in praxi. An circũstantię aggravantes declarandæ sint.

Nota 2. Quod Confessio est nulla, immò sacrilega & proinde iteranda, cùm quis dedita opera celaverit aliquod peccatum mortale; vel si aliquam circumstantiam mutantem speciem, vel notabiliter malitiam aggravantem, aut etiam si numerum peccatorum, quantùm potuerit non apperruerit; item, si aliquid eorum declarare omiserit ex oblivione culpabili & ex negligentia, defectu examinis conscientiæ debiti & diligentis, quale debet fieri in re tanti momenti juxta Quandonã confessio mutila, & proinde nulla.

facultatem & scientiam cujuslibet: at si ex oblivione inculpabili aliquid eorum omiserit, Confessio valida est, & includit peccata oblita, ut docet Conc. Trid. *ibid.* ac proinde non est iteranda; illa tamen peccata, quando memoriæ occurrerint, confiteri tenentur eidem, vel alteri Confessario. Ita Catech. Romanus.

An necesse sit confiteri venialia.

Nota 3. Quod non est necesse confiteri peccata venialia, & multò minùs necesse est explicare eorum numerum; illa tamen, de quibus dubitatur an sint mortalia, necessariò declaranda sunt, alioquin is, qui illa non confiteretur, exponeret se periculo sacrilegii committendi.

An in periculo mortis urgentissimo necesse sit confiteri omnia, & singula peccata.

Nota 4. Quod mendacium circa peccata mortalia in confessione admissum, vel circa peccata venialia, quæ sunt tota materia confessionis, est peccatum mortale.

Nota 5. Quod imminente naufragio, vel prælio, vel alio simili præsentissimo mortis periculo, non est necesse integrè & sigillatim omnia peccata confiteri, sed declaratis ipsis in genere aut potiùs aliquo in particulari, si fieri possit, vel signis tantùm Contritionis exterius exhibitis, Sacerdos, si aliter fieri non potest, debet pœnitentem, immò & plures simul absolvere sacramentaliter.

Nota 6. Quod Sacerdos vocatus ad infirmum, qui obmutuit, vel usu rationis destitutus est, ipsum absolvere potest, immò & debet, saltem

sub

ſub hac conditione expreſſa, vel tacita, ſi capax ſit abſolutionis; cùm nempe ex teſtimonio fidem dignorum hominum conſtat ipſum poſtulaſſe Sacerdotem, vel ſaltem ſigna Contritionis edidiſſe: nam ſi nulla ſigna Pœnitentiæ ediderit, Sacerdotemve non poſtulaverit, non poteſt ullo modo abſolvi, etiamſi conſtet ipſum chriſtianè & piè vixiſſe, atque Sacramenta frequentaſſe, cùm nulla tunc adſit materia idonea ac ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ; nulli enim tunc deprehenduntur actus ex parte Pœnitentis, qui neceſſarii ſunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ſine quibus in nullo caſu forma hujus Sacramenti applicari poteſt & debet, quidquid dicant Theologi quidam ſecus ſentientes.

An Sacerdos poſsit abſolvere eum qui nequit confiteri, & quando, ac quomodo abſolvere debeat.

Dicitur *facta à Pœnitente*; nam qui confitetur peccata ſua, verè debet eſſe pœnitens; Contritio enim, vel Attritio antecedere, vel comitari debet Confeſſionem, aut ſaltem ipſam immediatè ſubſequi, antequam detur abſolutio, alioquin nulla & iteranda eſt Confeſſio.

Confeſsionis conditio eſſentialis eſt, ut ſit lacrymabilis.

Nota, quod Pœnitens ſolus audiendus eſt in Confeſſione; nam ſine peccato mortali multi audiri ſimul non poſſunt a Sacerdote, niſi in præſenti, & communi multorum vitæ periculo, ut dictum eſt.

An plures ſimul confiteri debeant.

Dicitur *facta Sacerdoti*; ſolus enim Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, quapropter ſi in diſcrimine

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

mortis, absente Sacerdote, fiat Confessio Diacono, vel etiam Laico, illa non est Sacramentum, licèt valeat plurimùm ad excitandam Contritionem perfectam, sicque peccatorum remissionem obtinendam.

Finis Confessionis.

Dicitur *ad obtinendam peccatorum absolutionem;* hic est enim finis Confessionis Sacramentalis: si enim alio fine fiat, v. gr. ad petendum consilium, vel solatium, &c. non est sacramentalis: si verò eo fine fiat, ut obtineatur asolutio, & licèt non sequatur absolutio, & licèt etiam fiat Laico, qui putetur Sacerdos, Sacramentalis est, & ad sigillum obligat Confessarium, atque alios qui ipsam audierunt.

Clavis quid, & quotuplex.

Dicitur *vi clavium*, id est, potestate a Christo concessa Sacerdotibus in pœnitentes; quæ potestas ideo nomine clavium appellatur, quia per ipsam aperitur regnum cœlorum rectè dispositis, cùm absolvuntur a peccatis, aliis verò clauditur, peccatis eorum retentis.

Quid sit clavis scientiæ.

Quid clavis potestatis.

Clavis duplex distinguitur: clavis scientiæ seu discretionis, & clavis potestatis. Clavis scientiæ non tàm est scientia ipsa, quàm authoritas scientam exercendi, seu inquirendi & examinandi, ac discernendi in sacro Tribunali, & judicio animę; clavis verò potestatis est authoritas solvendi & ligandi. Clavis iterum duplex: clavis Ordinis, & clavis Jurisdictionis. Prima est potestas primaria, & non-

Quid sit potestas Ordinis, & Jurisdictionis.

dum

dum completa ligandi & solvendi, quæ confertur cum ordine Sacerdotali; qua quidem Sacerdos fit capax absolvendi sacramentaliter peccata, vel ea retinendi, sed qua uti non potest, donec clavem jurisdictionis acceperit; clavis jurisdictionis est authoritas, quæ complet potestatem Ordinis per assignationem subditorum, in quos exerceri possit, & qua Sacerdos, velut judex in subditum potest ferre sententiam, eum solvendo, vel ligando in foro interno.

Jurisdictio quotuplex.

Jurisdictio enim duplex est, alia fori interni, alia fori externi: jurisdictio fori interni est ea, quæ, ut dictum est, exercetur in Tribunali Pœnitentiæ, & quæ solis Sacerdotibus conferri potest; supponit enim potestatem ordinis necessariò. Confertur autem, non in collatione ordinis, sed in collatione beneficii curam animarum habentis, vel approbatione Ordinarii Prælati ad audiendas suorum subditorum Confessiones. Jurisdictio fori externi est potestas peccatores coercendi pœnis spiritualibus; versaturque maximè circa Censuras ferendas & solvendas. Potest autem conferri, non quidem laico sed cuilibet Clerico, & quidem duntaxat a Papa, vel Episcopo, vel alio Prælato. Jurisdictio utriusque fori duplex; alia ordinaria, alia delegata. Ordinaria est ea, quæ competit iis, quibus cura

Quandonam conferatur jurisdictio fori interni.

Quibus possit conferri jurisdictio fori externi, & a quibus.

Quibus competat jurisdictio ordinaria.

animarum ex officio competit, nempe summo Pontifici in omnem Ecclesiam, cuilibet Episcopo, vel Prælato in suam Diœcesim, cuilibet Parocho in suam Parochiam, & Prælatis Regularibus in suos subditos religiosos. Jurisdictio delegata est ea, quæ datur ab eo, cui competit ordinaria.

Nota tamen quod Parochis non competat Jurisdictio ordinaria fori externi.

De tertia parte Pœnitentiæ, nempe Satisfactione.

Dicitur, *satisfacere proponentibus*, in definitione Sacramenti Pœnitentiæ; Satisfactionis enim propositum ad essentiam hujus Sacramenti pertinet, cùm ille absolvi non possit, qui non vult impositam a Confessario pęnitentiam acceptare & adimplere, modo illa non sit prorsus inconveniens: Satisfactio verò ipsa, seu executio operis injuncti a Confessario in Satisfactionem, pertinet tantùm ad integritatem hujus Sacramenti, cùm ante ipsam absolutio collata valida sit, conferatque gratiam, ac proinde validum sit Sacramentum, neque necessariò ad valorem absolutionis præmittenda est Satisfactio absolutioni; illudque constat inter Theologos & definitum est a quibusdam summis Pontificibus, contra Novatores quosdam. Immò hodierna Ecclesiæ disciplina est, ut verè pœnitentibus impendatur absolutio, antequam expleverint Satisfactionem injunctam.

Sa-

Satisfactio Sacramentalis definitur: *voluntaria perpessio pœna a Confessario imposita, ad compensandam injuriam Deo illatam, & ad redimendam pœnam temporalem, quæ remissa culpa, plerumque remanet exsolvenda.*

Dicitur *voluntaria perpessio*, non invita & coacta; alioquin non esset Deo accepta. Idque intelligendum est non tantùm de Satisfactionibus injunctis a Confessario, sed etiam de flagellis temporalibus a Deo inflictis, quibus, modò patienter toleratis, Deo per merita Christi satisfacere possumus, sicut & pœnis sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, ut definit Conc. Trid. can. 13.

Dicitur *perpessio pœnæ*; nam per opera pœnalia præsertim satisfacimus Deo, ac maximè per orationem, eleemosynam, & jejunium, ut docet idem Concilium. Quænam opera sint satisfactoria.

Nota, ad orationem reduci omnes actus tum internos, tum externos charitatis, & religionis erga Deum; ad eleemosynam reduci omnes actus charitatis erga proximum; & ad jejunium reduci omnia opera mortificationis, quibus nosmetipsi maceramur.

Dicitur *pœna a Confessario imposita*; licèt enim pœnis sponte assumptis Deo satisfacere possimus, & debeamus, tamen plus valent pœnæ injunctæ a Confessario, utpote quæ

vi clavium & Sacramenti operentur.

An Confessarii posint imponere satisfactiones.

Nota 1. Quod Confessarii possunt in sacro Pœnitentiæ Tribunali Satisfactiones imponere, authoritate a Christo ipsis collata; illa enim potestate possunt ligare & obligare ad certas pœnas, ut statuit Conc. Trid. can. 14. contra Hæreticos.

An debeant, & quales.

Nota 2. Quod non solùm possunt, sed etiam debent pœnas & Satisfactiones imponere, ut integrum sit Sacramentum: Idque constat ex traditione, & statutum est in Concil. Trid. cap. 8. his verbis: „ Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & facultate pęnitentium, salutares „ & convenientes Satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pęnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis peccatis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

Nota 3. Quod Confessarii imponere debent Satisfactionem, antequam dent absolutionem, vel saltem immediatè postquam dederint, præter-

terquam in casu impossibilitatis; cùm, v. gr. ægrotus, moribundus usu rationis destitutus est, & jamjam animam exhalare videtur: si autem rationis compos sit, aliqua licèt levissima statim implenda, imponenda est ipsi, cum alia convenienti implenda quando convaluerit.

Quandonā imponendæ Satisfactiones.

Nota 4. Quod Pęnitentes acceptare tenentur Satisfactiones impositas, si sint convenientes, easque adimplere quamprimùm, vel tempore pręscripto a Confessario; alioquin, si adimplere nolint, vel negligant, lethaliter peccant, quando nempe illæ satisfactiones sunt gravis momenti. Hinc inferas Pęnitentem propria authoritate non posse sibi alium substituere, qui loco ipsius Pęnitentiam adimpleat injunctam nempe a Confessario; Pęnitentiam verò non injunctam, sed aliàs debitam unus pro alio potest adimplere; unus enim pro altero satisfacere potest, quod infertur ex Communione Sanctorum.

An pœnitentes acceptare debeant Pœnitentias.

Nota 5. Quod unus Confessarius non potest mutare Pęnitentias injunctas ab alio Confessario, si sint rationabiliter, & convenienter injunctæ; alioquin potest illas mutare, sed audita prius Confessione, priori Confessario facta.

An pœnitentiæ impositæ ab uno Confessario posśint mutari ab alio.

Dicitur *ad compensandam injuriam Deo illatam*; hic est enim finis præcipuus Confessionis, reparatio scilicet juris divini per peccatum violati; licèt enim Christus per passionem

Finis, & effectus Satisfactionis.

nem suam superabundè satisfecerit pro peccatis omnium, attamen vult nos fructus dignos Pęnitentiæ facere, nostrasque Satisfactiones suis Satisfactionibus, a quibus suam vim & efficaciam habent, conjungi. Hincque patet non ex hujusmodi nostris Satisfactionibus, vim meriti & satisfactionis Christi Domini, beneficiumque mortis illius, vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: ut docet Concilium Tridentinum cap. 8. contra Novatores.

Alter effectus Satisfactionis.

Dicitur *ad redimendam pęnam temporalem, quæ remissa culpa, plerumque remanet exsolvenda;* hic est enim alter effectus Satisfactionis, nempe solutio & redemptio pęnæ temporalis, quæ dimissa culpa & macula peccati, remanet plerumque solvenda.

An dimissa culpa semper remittatur pœna, & quænam.

Licèt enim cum macula & culpa peccati semper remittatur pęna æterna, non tamen semper remittitur pęna temporalis; id est de fide, & colligitur ex Scriptura & exemplo Davidis, cui etsi Nathan Propheta dixerat, Dominum transtulisse peccatum illius, attamen in pęnam illius, dixit ei quod filius illius moriturus esset, & revera statim mortuus est: præterea David pęnas ultro subiit, misericordiam Dei implorans his verbis, *ampliùs lava me ab iniquitate mea.* Deinde illud dogma fidei habetur traditione. Denique statuitur hoc canone 12. *sess.*

14.

14. *Conc. Trid.* contra Hæreticos.

„ Si quis dixerit totam pęnam si-
„ mul cum culpa remitti semper a
„ Deo, anathema sit.

Nota ergo ex eodem Concil. *cap.* 8. Baptismum in hoc differre a Sacramento Pęnitentiæ, quod tota pęna semper remittatur in Baptismo, non verò in Sacramento Pęnitentiæ; iis de rationibus. 1. Quod ante Baptismum peccatores ex ignorantia deliquerint, post Baptismum verò, a servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes Templum Dei violant; deinde ne, si absque Satisfactione laboriosa peccata dimitterentur, occasione accepta, in graviora peccata velut contumeliosi Spiritui Sancto, laberentur baptizati homines. Quomodo Pœnitentia differat a Baptismo.

Nota deinde quod defectu Satisfactionum, quæ injungendæ essent, supplere possunt Indulgentiæ, quæ conceduntur a summis Pontificibus, quas etiam studiosius unusquisque lucrari debet: immò & opera, pro quibus concessæ sunt, possunt utilissimè a Confessariis pro Pęnitentia imponi. Indulgentiarum usus maximè salutaris est.

Dicitur *a Sacerdote Jurisdictionem habente*; Sacramenti enim Pœnitentiæ solus Sacerdos est Minister: estque dogma fidei definitum in Conc. Trid. *can.* 10. & habetur, tum Traditione, tum Script ura. Nam, ut docet idem Concilium cap. 6. non ad alios quosvis, præter Episcopos, De Ministro Sacramenti Pęnitentiæ.

& Sacerdotes, ista verba dicta sunt, *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cęlo, &c. & quorum remiseritis peccata, &c.*

Verum observa quod ad validitatem Sacramenti Pęnitentiæ, non sufficit potestas Ordinis Sacerdotalis, sed præterea necessaria est potestas jurisdictionis ordinaria, vel delegata: Nam docet idem Concilium, „ quod persuasum semper in Eccle„ sia Dei fuit, nullius momenti „ absolutionem eam esse debere, „ quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut sub delegatam non habet jurisdictionem. Ita Concilium *session.* 14. *capitolo septimo.*

An approbatio sit necessaria.

Nota 1. Quod ex Decreto Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. nullus Sacerdos, etiam Regularis, Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum possit audire, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, approbationem obtineat.

De casibus reservatis.

Nota 2. Ex eodem Concilio *sess.* 14. *cap.* 7. Summum Pontificem in tota Ecclesia, & Episcopos in suis Dięcesibus habere jus sibi reservandi Casus, atque ideo hanc casuum reservationem prohibere, quominus Sacerdotes a reservatis verè absolvant, nisi a Pręlatis, qui illos Casus reservarunt, concessa sit facultas specialis absolvendi ab iis; quinam autem sint casus reservati summo

mo Pontifici, dicetur in fine hujus Paragraphi.

Nota 3. Quod quidam sunt casus reservati, quibus annexa est Censura, cujus absolutio reservatur. Tales sunt omnes Casus reservati Summo Pontifici, sicut & quidam inter reservatos ab Episcopis.

Casus reservati Papæ habent annexam Censurã.

Nota 4. Quod, si immineat periculum mortis, desitque Sacerdos approbatus, quilibet Sacerdos potest a quibusvis peccatis, & Censuris absolvere, cùm in articulo mortis, nulla sit reservatio; tuncque Ecclesia cuilibet Sacerdoti jurisdictionem conferat. Ita Concilium ibid.

An quilibet Sacerdos quēlibet a quibuslibet absolvere possit in periculo mortis.

Nota 5. idem intelligendum esse de Sacerdote Hæretico, suspenso, excommunicato, irregulari, & degradato, cùm deest alius Catholicus, & liber a Censuris & irregularitate.

Nota 6. Eos, qui in periculo mortis absoluti sunt a casibus reservatis, non teneri, si posteà convaluerint, se sistere Superiori, cui reservati sunt, modò, illis casibus non sint annexæ censuræ; qui enim a Censuris reservatis absoluti fuerint, tenentur se præsentare Superiori, cui sunt reservatæ quamprimùm convaluerint, non quidem ut ab eo absolvantur; sed ut mandatis ejus pareant, quod nisi fecerint, in easdem Censuras relabentur.

Quid faciendum ei, qui in tali periculo absolutus est a Censuris, & a reservatis peccatis, cùm periculum evasit.

Dicitur, *impenditur absolutio a peccatis*. His verbis duo significantur. 1. Quæ-

De forma, & effectu Sacrameti Pœnitentiæ.

1. Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ. 2. Quinam sit effectus illius.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitētiæ.

Forma Sacramenti Pœnitentię consistit in his verbis: *Absolvo te*, aut in verbis æquivalentibus; preces verò, quæ adduntur ex more Ecclesiæ, ad formam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Ita docet Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. hæcque forma non solùm ex traditione & Decretis Conciliorum habetur, sed etiam ex Scriptura dicente; *quæcunque solveritis in terris, erunt soluta & in Cælos* & præterea, *quacumque remiseritis, &c.*

An hæc Verba *a peccatis tuis* sint necessariò dicenda,

Nota 1. Hęc verba, *a peccatis tuis*, non esse essentialia, juxta D. Thomam at cùm aliter sentiant Theologi alii, nequaquam sunt omittenda; tutior, enim sententia, in iis maximè, quæ spectant Sacramentorum administrationem, semper est sequenda.

An etiam hæc verba *in nomine Patris, &c.*

Nota 2. Hæc verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non esse essentialia, attamen nunquam omittenda.

An impositio manuum necessaria.

Nota 3. Impositionem manuum, & alias cœremonias non esse de necessitate hujus Sacramenti.

Nota 4. Has formas, *ego remitto tibi*, vel *condono tibi peccata tua*, esse validas, sed non licitas.

An valeat absolutio deprecatoria.

Nota 5. Quod absolutio deprecatoria, vel nulla est, vel saltem dubia,

bia, ut si quis dicat, *absolvat te Christus*.

Nota 6. Quod sensus verborum, *ego te absolvo &c.* non est hic, declaro tibi remissa esse peccata tua; docet enim Conc. Trid. cap. 6. & can. 9. absolutionem Sacramentalem Sacerdotis, esse actum judicialem, non nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti: & hoc contra Hæreticos, sensus ergo illorum verborum est iste: remitto tibi peccata tua, seu Sacramentum absolutionis tibi impendo, & confero tibi gratiam ex se remissivam peccatorum. Licèt enim peccata jam remissa sint vel per Contritionem perfectam, vel per Confessionem legitimam præcedentem, nihilominus iterum ampliùs remitti possunt, aliquo sensu, etiam quoad culpam. Nam quamvis culpa seu macula, utpote privatio gratiæ, in se sit indivisibilis, itaut non possit tolli, quin tota simul & semel tollatur: attamen per respectum ad formam, cujus est privatio, nempe gratiam sanctificantem, suscipit magis & minùs; cùm gratia possit augeri, & major ampliorque conferri per absolutionem. Hinc observandum est, quod absolutio de iisdem, peccatis, iterum potest conferri, accedente nova de iisdem Contritione, & Confessione; diversa enim materia remota non requiritur, ut iterum conferatur absolutio, sed requiritur diversa

Quomodo intelligenda sint hæc verba, *ego te absolvo*.

An Peccata remissa iterum remitti possint, & quomodo, & an absolutio iterum possit dari peccatorum jam remissorũ.

versa materia proxima; quia ex praxi omnium Christianorum, generales Confessiones sæpius iterantium, constat esse utile, eadem peccata sæpè cum dolore & satisfaciendi proposito confiteri.

Utrum hæc vox, *ab omnibus* sit necessaria.

Nota 7. Quod non est necesse dicere, *absolvo te ab omnibus peccatis tuis*; illa enim vox, *omnibus* superflua est, cùm absolutio se extendat ad omnia peccata: unum enim peccatum, saltem mortale, non potest remitti sine aliis, cùm non possit remitti, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ non potest compati cum ullo peccato mortali.

Utrum hæc verba, *a peccatis contritis, confessis, & oblitis*, sint necessariò dicenda.

Nota 8. Quod absolutio non debet conferri his verbis, *absolvo te ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis*. Absolutio enim directè se extendit ad omnia confessa, & indirectè ad oblita. Deinde absolutio valida, semper supponit contritionem, quo nomine intelligitur etiam attritio; hæc enim est sufficiens, ut suprà dictum est.

De absolutione conditionata. Et an sit valida, & licita.

Nota 9. Absolutionem sub conditione de futuro irritam esse, sub conditione verò de præterito vel præsenti illicitam esse, nisi adsit causa legitima. Talis ergo absolutio irrita est: *absolvo te, si posthac restituas, vel si facias hoc, quod promittis*, licita verò, si Confessarius dubitans, an dederit absolutionem, dicat, *si non es absolutus, ego te absolvo*, vel, si dubitans, an puer usum rationis ha-

habeat, vel dubitans, an moribundus, qui signa tantùm contritionis dedit, nec potest confiteri, sit sufficienter contritus, dicat, *si es capax absolutionis, ego te absolvo.*

Nota 10. Quod absolutio neganda est iis, quorum nulla, vel ficta est conversio, iis verò differenda, quorum conversio dubia & incerta est, nisi in extrema necessitate, v. g. in periculo mortis; tunc enim istis sub conditione est impendenda. Neganda est ergo iis, qui ignorant præcipua fidei mysteria, nec discere volunt: iis, qui inimicis reconciliari recusant, vel proximo bona, famam, &c. restituere, vel occasionem proximam peccati deserere, vel pravos mores emendare, aut nolunt, aut negligunt: vel saltem differenda est iis absolutio, donec ea, quoad tulerit facultas, opere compleverint. Quibus deneganda, vel differenda absolutio.

Nota 11. Quod absolutio a censuris præcedere debet absolutionem a peccatis; censuræ enim, maximè excommunicatio, privant participatione Sacramentorum, ideo Sacerdos dicere debet, *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis,* (quando scilicet absolvit Clericos) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges.* Ab absolutio a cẽsuris debeat præcedere absolutionẽ a peccatis.

Effectus Sacramenti Pœnitentiæ præcipuus est remissio omnium peccatorum, tum mortalium, tum etiam venialium, eorum scilicet, quorum nullum affectum habet pœnitens. Quinam sint effectus Sacramenti Pœnitentiæ.

Cum

Cum hac remiſſione conjuncta eſt reconciliatio cum Deo; hæc autem remiſſio peccatorum non fit, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis primæ, vel ſecundæ.

Deinde remiſſa culpa remittitur reatus pœnæ æternæ, non verò totius pœnæ temporalis. Illa enim non ſemper tota per hoc Sacramentum tollitur, ſed ſecundùm menſuram charitatis, pœnitentiæ, & aliarum diſpoſitionum.

De reviviſcentia operum mortificatorum per pœnitentiam.

Præterea alius effectus eſt reviviſcentia bonorum operum in charitate & gratia factorum, ſed peccato ſuperveniente mortificatorum; illa enim opera per pœnitentiam, ſeu ſacramentalem, ſeu etiam virtutem reviviſcunt, id eſt, recuperant efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam. Id autem intellige de mortificatis operibus tantùm, non de mortuis, id eſt de operibus bonis factis in ſtatu peccati mortalis; hæc enim nunquam reviviſcere poſſunt, cùm nunquam gratia ſanctificante vivificata fuerint.

Gratia actualis Sacramentū Pœnitentiæ quid operetur.

Denique alius effectus eſt pax, & ſerenitas conſcientiæ, cùm vehementi Spiritus ſancti conſolatione, procedente ex gratiis actualibus, quas operatur iſtud Sacramentum in viris piis, & cum devotione illud percipientibus, ut docet Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

Nota, quod *ſuſpenſio* non eſt caſus, ſed cenſura; ſicut nec *irregularitas*,

ritas, quæ eſt impedimentum, ſeu inhabilitas; earumque diſpenſatio vel abſolutio pertinent ad Epiſcopos, quando ſunt ex delicto occulto, excepta irregularitate quæ eſt ex homicidio voluntario: hæc enim reſervatur S. Pontifici, exceptis etiam aliis deductis ad forum contentioſum.

Admonitiones in prædicta.

1. Nullum peccatum reſervari, niſi ſit mortale, vel quando ſola cogitatione eſt admiſſum, vel quando a pueris aut puellis committitur ante pubertatis annos, id eſt in pueris ante annum ætatis 14. in puellis ante annum 12.
2. Fœminas non eſſe remittendas pro caſibus reſervatis, quando diſtant ab urbe pluſquam tribus leucis, niſi fortè prudens Confeſſarius judicaverit aliter expedire.

Hæc omnia habentur ita in Rituali pariſienſi; ſed obſerva quod crimen hæreſis ſit reſervatum Summo Pontifici a quo tamen Epiſcopi in pleriſque Galliarum Provinciis ſolent abſolvere; ſive id faciant ex conſuetudine immemorabili, ſive ex tacita vel expreſſa licentia ſummi Pontificis.

Obſerva deinde quod etiam Epiſcopi abſolvunt a caſibus & excommunicationibus reſervatis Papæ quando caſus Papalis, ut ajunt, ſit Epiſco-

ſcopalis; fit autem Epiſcopalis propter tres cauſas quarum prima eſt ætatis infirmitas: ſecunda, ſexus imbecillitas: tertia, impedimentum legitimum adeundi Sedem Apoſtolicam.

PARAGRAPHUS V.

De Extrema-Unctione & Matrimonio.

Quid eſt Extrema Unctio?

EST *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ut, per unctionem certarum partium ægroti, ex oleo benedicto, & per orationem Sacerdotis, ipſi conferatur ſalus mentis & corporis.*

De inſtitutione Sacramenti extremæ Unctionis. Dicitur *Sacramentum a Chriſto inſtitutum*. Dogma eſt fidei definitum in Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. his Canonibus: „ Primò: Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non eſſe verè „ & propriè Sacramentum a Chriſto inſtitutum, & a beato Jacobo „ promulgatum . . . anathema ſit. „ Secundo: ſi quis dixerit, ſacram infirmorum Unctionem non conferre „ gratiam, nec remittere peccata, „ nec alleviare infirmos; ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim fuerit tantùm „ gratia curationum; anathema ſit.

An D. Jacobus inſtituerit extremam Unctionem. Nota 1. Juxta doctrinam Concil. Trid. cap. 1. Divum Jacobum non inſtituiſſe Extremam Unctionem, ſed inſti-

institutam a Christo, promulgasse & docuisse; deinde ex his verbis D. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum unguentes eum oleo, in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei*, ex his verbis, inquam, secundùm Traditionem & perpetuam Ecclesiæ doctrinam haberi, quænam sit materia & forma, quinam Ministri & effectus hujus Sacramenti.

Nota 2. Non posse assignari tempus, quo Christus Dominus hoc Sacramentum instituit: attamen in Evangelio fieri mentionem de unctione olei super infirmos, facta ab Apostolis, Marci 9. capite. Unde Concil. Trid. dicit hoc Sacramentum a Marco insinuatum fuisse.

Quo tempore fuerit institu-ta.

Dicitur 2. *Ut per unctionem certarum partium*: nam materia proxima hujus Sacramenti est unctio certarum partium, & præcipuè earum, in quibus vigent quinque sensus, nempe *oculorum*, *aurium*, *narium*, *labiorum*, *& manuum*, additur unctio *pedum*, & etiam *renum*; istæ enim omnes partes sunt veluti origines omnium peccatorum.

De Unctione, & partibus ungendis.

Nota 3. quod unctiones istæ omnes non sunt de necessitate Sacramenti, immò neque de necessitate præcepti, cùm unctio renum semper omittatur in fœminis, propter pudorem, & etiam in masculis in certis casibus,

An omnes Unctiones necessariò faciendæ.

bus, & in quibusdam Ecclesiis, immò & unicam unctionem in maxima & extrema necessitate, cum unica prolatione integræ formæ sensus omnes exprimente; sufficere docent multi Theologi, multarumque Diœcesum Rituales Libri.

Quinam sint ungendi. Dicitur, *ægroti*; declarat enim Conc. Trid. *ibid. cap.* 3. hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tàm periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde Sacramentum exeuntium nuncupatur. Apud Græcos tamen, peccatoribus sanis & benevalentibus adhibetur. Sed retinenda est Ecclesiæ Latinæ doctrina & praxis, utpote conformior Divo Jacobo dicenti; *Infirmatur quis*, *&c.*

Cur dicatur Extrema Unctio. Nota 1. Quod hoc Sacramentum ideo Extrema-Unctio dicitur quod conferatur illis, qui velut in extremo vitæ constituti videntur, & quod sit extremum & ultimum Sacramentum, quod administrari debeat fidelibus; nam hodierna Ecclesiæ disciplina, si tempus & infirmi conditio permittant, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum infirmis præbeantur oportet.

An iterari possit. Nota 2. Ex Conc. Trid. quod si infirmi post hanc unctionem susceptam convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

Dici-

Dicitur, *ex oleo benedicto*; oleum enim est materia remota, ut patet ex Divo Jacobo, quod oleum benedictum sit, necesse est, necessitate quidem præcepti, & etiam Sacramenti: licèt quidam Theologi solam necessitatem præcepti agnoscant. Et quidem in Ecclesia Latina a solis Episcopis benedici potest, in Græca verò a Presbyteris benedicitur. Oleum autem olivarum duntaxat, est materia hujus Sacramenti, cùm illud solum sit propriè oleum.

Quodnam oleum esse debeat. An benedici debeat, & a quibus.

Dicitur, *& per orationem Sacerdotis*; forma enim hujus Sacramenti est deprecatoria, ut patet ex D. Jacobo, & est oratio Sacerdotis consistens in his verbis, quæ nos docuit Traditio; *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, per auditum, &c.*

De forma Extremæ Unctionis.

Nota, quod forma hujus Sacramenti sit deprecatoria, eo quod salus corporis, quæ est alter effectus hujus Sacramenti, non semper & infallibiliter sequatur ex eo, sed dependeat ex sola misericordia Dei.

Cur forma hujus Sacramenti sit deprecatoria.

Nota, quod adultis solis, utpote qui peccata actualia commiserunt, non infantibus administranda est Extrema Unctio.

Dicitur, *Sacerdotis*; soli enim Sacerdotes sunt Ministri hujus Sacramenti, ut definivit Conc. Trid. can. 4. contra Hæreticos dicentes, Di-

An solus Sacerdos sit Minister Extremæ Unctionis

vum Jacobum, per Presbyteros intellexiſſe ſeniores Laicos, non verò Sacerdotes.

An unus Sacerdos ſufficiat.

Nota, quod licèt D. Jacobus dicat Presbyteros in plurali, attamen ex praxi Eccleſiæ Latinæ conſtat, unum Presbyterum ſufficere ad unctionem adhibendam; adhibet enim nomine totius Eccleſia, ut ait D. Thomas; verùm in Eccleſia Græca ſeptem Sacerdotes ſimul illam adminiſtrant, quorum alii alias unctiones partiales adhibent, partialeſque his unctionibus reſpondentes orationes dicunt, alii alias. Sicque etiam in Eccleſia Latina olim plures Sacerdotes illam adminiſtrabant.

An plures ſimul ungere poſſint.

Effectus Extremæ Unctionis primarius

Dicitur, *ut ipſi conferatur ſalus mentis, & corporis*. Primarius enim effectus Extremæ Unctionis eſt gratia habitualis, cui annexæ ſunt gratiæ actuales, quibus anima, vi morbi oppreſſa, & gravibus tentationibus in periculo mortis impedita alleviatur, confirmatur, & roboratur, ut patet ex Jacobo.

Secundarius.

Secundarius verò & conditionatus effectus eſt ſanitas corporis, cùm ſaluti animæ expedierit, ut patet ex Conc. Trid.

Nota, quod, ut docet Conc. Trid. iſtud Sacramentum abſtergit peccata, ſi quæ ſint adhuc expianda, & peccati reliquias.

Quid ſint reliquiæ peccatorũ

Per reliquias autem peccatorum intelligi poſſunt peccata venialia, & et-

& etiam mortalia, quæ post alia Sacramenta remanserunt, propter ignorantiam infirmi, vel impotentiam illa confitendi. Secundò & magis propriè intelligi potest reatus pœnæ temporalis debitæ peccatis, qui reatus vel tollitur omninò, vel saltem minuitur, secundùm dispositionem recipientis. Tertiò, intelliguntur pravæ dispositiones ad peccandum, contractæ ex præteritis peccatis, v. gr. languores animæ, infirmitates, &c.

Observa, quod licèt istud Sacramentum ad salutem non sit absolutè necessarium, attamen qui illud recipere nolunt, aut irrationabiliter differunt, mortaliter peccant, tum propter contemptum, tum etiam aliquando propter scandalum.

Quid est Matrimonium.

Matrimonium, ut est Sacramentum novæ Legis, est *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per legitimum & indissolubilem contractum inter virum & feminam, tradita & accepta mutua corporum potestate celebratùm gratia confertur ad generandam & educandam prolem propter regnum Cœlorum; & ad sustinenda omnia Matrimonii onera.*

Dicitur 1. *Sacramentum a Christo Domino institutum;* duplex est Matrimonium: primum est *legitimum*, quod non Quotuplex Matrimoniũ. Quid legitimum.

est aliud, quam contractus civilis & maritalis inter virum, & mulierem, & definitur a Catechismo Romano, *viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*: aliud verò Matrimonium est illud, quod præter rationem contractus civilis, habet etiam rationem Sacramenti, &

Quid ratũ. dicitur *ratum*, quia inter fideles contrahitur, & est ab Ecclesia approbatum; interveniente autem copula carnali dicitur *consumatum*.

Institutio Matrimonii legitimi. Prius illud Matrimonium Lege naturali & positiva a Deo creatore institutum est in officium naturæ, ad propagandum genus humanum: scriptum est enim in Genesi, *masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini*. Quibus verbis continetur institutio & finis Matrimonii, ipsiusque

An Matrimonium sit de præcepto. benedictio & fœcunditas; non verò præceptum ipsius contrahendi, respectu singulorum omnium hominum, ut malè inferunt Hæretici, qui statum conjugalem dicunt esse anteponendum statui virginitatis, vel cœlibatus; & non esse beatius manere in virginitate & cęlibatu, quàm jungi Matrimonio, qui etiam, utpote Apostolo repugnantes, condemnantur a Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 10.

An Matrimoniũ Judæorũ, & Infidelium sit Sacramentum. Nota, quod in Lege naturæ, & in Lege scripta, & nunc etiam inter infideles qui non sunt baptizati, Matrimonium est legitimum, & est in offi-

officium naturæ atque in remedium concupiſcentiæ; ſed non eſt Sacramentum, cùm Baptiſmus ſit janua omnium Sacramentorum novę Legis: in Lege verò Gratiæ Matrimonium inſtitutum eſt propter finem ſupernaturalem, & ad gratiam conferendam conjugatis Fidelibus baptizatis.

Dogma igitur fidei eſt a Conc. Trident. definitum *ibid. can.* 1. Matrimonium eſſe verè & propriè unum è ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo inſtitutum, gratiamque conferre. Quod dogma conforme eſt Traditioni, & Scripturæ Sacræ, ut eam ſemper intellexit Eccleſia Catholica: dicit enim Apoſtolus: *Matrimonium eſt magnum Sacramentum, in Chriſto & in Eccleſia*; non ſolùm quia repręſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ejuſque amorem erga Eccleſiam, ſed etiam quia gratiam confert, quę naturalem conjugum amorem perficiat, ipſoſque ſanctificet, ut docet *Conc. Trident. ſeſſ.* 24.

Inſtitutio Sacramenti Matrimonii.

Quomodo illud intelligendum, *Matrimonium magnum Sacramentum eſt*.

Quandonam autem Chriſtus Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexerit, eique vim operandi gratiam contulerit, non eſt facile definire; poteſt tamen utcumque dici, tunc temporis iſtud feciſſe, cùm Matthæi 9. capite dixit, *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, vel cum nuptias in Cana Galileæ benedixit, ipſaſque miraculo illuſtravit.

Quo tempore fuerit inſtitutum Sacramentum Matrimonii.

Dicitur 2. *Quo per legitimum con-*

Contractus debet esse ab impedimentis omnibus immunis.

tractum; contractus enim maritalis debet esse legitimus, id est, secundùm Leges naturæ, & secundùm Leges positivas, & ideo debet esse inter legitimas personas, nullo interveniente impedimento. Multa autem sunt impedimenta, etiam dirimentia quæ Ecclesia statuit, & statuere potest, frustrà reclamantibus Hæreticis, qui a Concil. Trident. ideo condemnati *can.* 4.

Impedimenta Matrimonii quotuplicis generis

Quid sint dirimentia.

Quid impedientia.

Impedimenta ergo Matrimonii alia sunt dirimentia, alia non dirimentia, sed impedientia tantùm. Dirimentia sunt ea, quæ Matrimonium invalidum reddunt, ac proinde illicitum; impedientia sunt illa, quæ prohibent Matrimonium contrahi, faciuntque illud illicitum, quamvis contractum valeat.

Quot, & quænam dirimētia

Impedimenta dirimentia sunt quatuordecim his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Affinis, raptor, si clandestinus, & impos.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Quot, & quænam impedientia.

Impedientia sunt quinque his expressa versibus.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.

Impe-

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

De quibus omnibus vide Binsfeldium, Toletum, & alios.

Dicitur 3. *& indissolubilem contractum*; indissolubilitas enim ita est propria Matrimonio, quod inter Christianos contrahitur, ut nullam ob causam, etiam propter adulterium, Matrimonii vinculum dissolvi possit, nisi morte alicujus conjugis, idque tantùm de fide definitum est in Concilio Tridentino *can.* 7. quoad thorum verò, seu quoad habitationem, ob multas causas separatio inter conjuges potest decerni, ad certum incertumve tempus, ex eodem Conc. *can.* 8. An possit dissolvi Matrimonium.

Nota tamen Matrimonium ratum & non consummatum posse dissolvi etiam quoad vinculum professione religiosa alterius conjugum, idque definitum est in eodem Concilio *can.* 6.

Nota, quod in Lege Moysis permittebatur Judæis, ob duritiam cordis eorum, repudium uxorum quibus a maritis dabatur libellus repudii. De libello repudii.

Dicitur 4. *contractum inter virum & fœminam*; vir enim non potest contrahere cum pluribus fœminis simul: nam polygamia ita est aliena a natura Matrimonii, ut Conc. Trid. anathemate percusserit Hæreticos dicentes, licere Christianis plures simul uxores habere, & hoc nulla An licita sit polygamia.

Lege divina prohibitum esse *Canon; 2.*

An olim permissa. Nota tamen, quod polygamia non est ita a natura Matrimonii aliena, quin permissa fuerit a Deo in Lege naturæ, & in Lege scripta, sanctis Patriarchis Abraham, David, &c.

De materia, & forma Sacramenti Matrimonii, & de ministris illius. Dicitur *tradita & accepta mutua corporum potestate*, in traditione & acceptatione mutua utriusque conjugis corporum externis signis expressa consistit contractus maritalis, immò & secundùm communem Theologorum sententiam, consistunt materia, & forma hujus Sacramenti; censent enim illi mutuam traditionem corporum esse materiam, mutuam verò acceptationem esse formam; unde & censent, contrahentes conjuges esse ministros hujus Sacramenti.

Nota tamen, quod quidam Theologi censent formam hujus Sacramenti esse verba Sacerdotis Matrimonium celebrantis, hæc scilicet: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Vel alia æquivalentia juxta morem cujusque Ecclesiæ; & proinde contrahentes non esse Ministros hujus Sacramenti, sed solum Parochum, vel alium, qui ejus locum tenet; in ea sententia sunt Melchior Cano, Estius, Sylvius.

Quinam sint effectus Matrimonii. Dicitur 4. *gratia confertur ad generandam, & educandam prolem, & ad omnia Matrimonii onera sustinenda;* effectus enim Matrimonii est gratia ha-

habitualis habens annexum jus ad gratias actuales, opportuno tempore dandas, & conducentes ad fines Matrimonii, qui fines dicuntur bona Matrimonii; & tria sunt Proles, Fides, & Sacramentum. Proles est legitima prolis susceptio, & pia illius educatio. Fides est pacti conjugalis constantia: Sacramentum est Sacramenti Matrimonii indissolubilitas.

Quænam sint bona Matrimonii.

Per gratiam ergo quam confert istud Sacramentum fit, ut parentes legitimam quærant prolem, non tantùm quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur, & consecretur Christo, ipsamque enutriant, & instruant in timore Domini. Per hanc gratiam fit. 2. Ut Christiani conjuges inviolatam sibi servent fidem, sibique debitum reddant. Fit. 3. Ut individuam & indissolubilem societatem, unitatemque servent.

Ad quid detur gratia hujus Sacramenti.

Denique, cùm præter ista onera, multa sint alia, quibus status conjugii obnoxius est, ad illa sustinenda, gratia singularis confertur per Sacramentum Matrimonii.

Observa, quod Matrimonio sponsalia præmitti debent.

Sponsalia autem sunt, *futuri Matrimonii mutua promissio & accepta, inter personas habiles; seu promissio utriusque data & accepta, de Matrimonio, non in præsenti, sed in posterum contrahendo.*

Quid sint Sponsalia.

Observa, quod licèt Sacramentum

Ordinis vulgò premittatur Sacramento Matrimonii, tractatio tamen de Sacramento Ordinis ultima consultò posita est, ut hanc immediatè excipiat tractatio de Censuris & de irregularitate; nam propter affinitatem utriusque materiæ, una alteri jungenda visa est.

PARAGRAPHUS VI.

De Sacramento Ordinis.

Quid est Ordo, seu sacra Ordinatio?

EST Sacramentum *a Christo Domino institutum, quo verbis, & signis exterioribus ab Episcopo adhibitis, traditur ordinato gratia, & spiritalis quædam potestas, aut ad Eucharistiam consecrandam, aut ad ministeria Ecclesiastica, maximè illa, quæ ad eam ordinantur, obeunda.*

Dicitur 1. *Sacramentum*, & est de fide, Concil. Trid. docente *sess.* 23. „ cùm, Scripturæ testimonio, *inquit*. „ *Concilium*, Apostolica Traditione, „ & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum „ è septem sanctæ Ecclesiæ Sacra-

„ mentis. Inquit enim Apostolus: „ *Admoneo te, ut resuscites gratiam* „ *Dei quæ est in te, per impositionem* „ *manuum mearum, &c.* deinde idem Concilium Hæreticos, Calvinianos, & alios istud dogma negantes, hoc Canone 3. damnat. „ Si quis dixe„ rit Ordinem, sive sacram Ordina„ tionem non esse verè & propriè „ Sacramentum, a Christo Domino „ institutum, anathema sit.

Nota 1. Quod est de fide, Sacerdotium, in quo est plenitudo Ordinis, esse Sacramentum. Sacerdotium an sit Sacramentum.

Nota 2. Quod certum, & constans est, nunc apud Theologos, Diaconatum habere rationem veri Sacramenti: definit enim Concilium Trident. *can.* 4. per sacram Ordinationem dari Spiritum sanctum, ac proinde non frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum sanctum*; at in Ordinatione Diaconorum dicunt Episcopi, imponendo ipsis manus, *Accipite Spiritum sanctum*: ergo inferendum est, Ordinationem Diaconorum conferre gratiam, ac proinde esse verè Sacramentum. An Diaconatus sit Sacramentum.

Deinde de ordinatione Diaconorum fit mentio in Scriptura Actorum 7. capite: Ordinarunt enim Apostoli septem primos Diaconos, per orationem, & manuum impositionem, non tantùm, ut mensis communibus ministrarent, & eleemosynas pauperibus distribuerent, quod erat illorum secundarium officium, Primariū, & secundarium officium Diaconorum primitivæ Ecclesiæ.

sed, & præcipuè, ut mensis sacris deservirent, & Eucharistiam administrarent in sacris cœtibus, quod erat primarium illorum officium.

An Subdiaconatus, & minores Ordines sint Sacramenta.

Nota 3. Non constare inter Theologos, an Subdiaconatus, & minores Ordines sint Sacramenta, licèt omnes consentiant in hoc, quod antiquissimi sint illi omnes Ordines; dicit enim Conc. Trid. *Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu.*

An sint ab initio Ecclesiæ.

Proponuntur argumenta Doctorum negantiũ illos esse Sacramenta.

Alii ergo Theologi negant Subdiaconatum, & minores Ordines esse propriè Sacramenta 1. Quia ab Ecclesia, non a Christo instituti videntur. 2. Quia officia minorum Ordinum a laicis exerceri possunt. 3. Quod a simplicibus Presbyteris, ex Sedis Apostolicæ privilegio conferri possint. 4. Quia Sacerdotium duntaxat; & Diaconatus in Ecclesia primitiva fuerunt; Subdiaconatus verò, & cæteri Ordines postea instituti sunt, crescente Christianorum numero. 5. Quia minores Ordines, præter Lectoratum, ab annis mille & ducentis in Ecclesia Græcâ desierunt; si tamen in ea aliquando fuerunt, & a nemine Latinorum accusati sunt Græci, quod apud ipsos mutilum esset Sacerdotium. 6. Quia antiquitus, ut patet ex Historia Ecclesiastica, multi initiati sunt Ordine Diaconatus.

tus, & Presbyteratus, qui minoribus Ordinibus, immò & Subdiaconatu non sunt initiati. Denique quia Subdiaconatus non fuit semper Ordo sacer, nec continentiæ lege astrictus, sed inter minores Ordines olim numerabatur.

Alii verò Theologi, post D. Thomam, asserunt Subdiaconatum, & minores Ordines esse vera Sacramenta, quia non iterantur, ac proinde imprimunt characterem. Deinde quia Conc. Trid. docet, Ordinem simpliciter esse Sacramentum, & postea docet, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum gradus verè esse Ordines. Idem docuerat Eugenius IV. in decreto ad Armenos post Conc. Florentinum; & materiam, formamque illorum omnium Ordinum definierat. Proponuntur argumenta Doctorum affirmantium.

Ut ut sit, certum est Concilium Tridentinum circa hanc quæstionem, de qua Theologi utrinque disputant, nihil de fide definivisse, sed tantùm contra Hæreticos statuisse *canon.* 2. præter Sacerdotium, esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, majo-
,, res, & minores, per quos velut
,, per gradus quosdam in Sacerdo-
,, tium tendatur. An circa hanc quæstionem aliquid definierit Conc. Trid.

Nota 4. Quod, licèt sint plures Ordines & diversi, attamen omnes unum sunt Sacramentum, ut ait D. Thomas, quia omnes ad Sacerdotium referuntur, & in illo quodammodo sunt unum; nam in Sacerdo- Licèt sint plures Ordines, non sunt tamen plura Sacramenta, quàm septem.

tio.

tio est plenitudo Ordinis, in aliis verò participatio quædam; vel dicas; Ordines specificè sumptos, esse plura Sacramenta, genericè verò esse unum Sacramentum, seù omnes comprehendi in uno genere, nempe in Sacramento Ordinis.

Quando sint instituti fuerint Ordines a Christo.

Dicitur 2. *a Christo Domino institutum*; Sacerdotium enim institutum est ab ipso, ut docet Concilium Tridentinum, quando ipse Christus Apostolos instituit novæ Legis Sacerdotes, nempe in ultima Cœna, cùm ipsis, & eorum successoribus in Sacerdotio dedit potestatem consecrandi, offerendi, & administrandi corpus suum, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Et deinde post Resurrectionem suam, cùm dedit eis potestatem remittendi & retinendi peccata, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* quæ duæ potestates, seu duo caracteres constituunt Sacerdotium.

An Apostoli ordinati fuerint Diaconi. An instituerint Diaconatum.

Dicendum est præterea simul cum Sacerdotio Christum instituisse Diaconatum, & per potestatem excellentiæ, quam habebat; istum etiam ordinem contulisse Apostolis, unde falsum est Apostolos, cùm ordinarunt septem primos Diaconos, tunc instituisse Ordinem Diaconatus.

Nota, quod Theologi, qui dicunt Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines esse verè Sacramenta, dicunt etiam illos simul cum Sacerdo-

tio

tio institutos esse a Christo, & ab ipso Apostolis simul cum Sacerdotio collatos, ideoque asserunt materias, & formas illorum Christum instituisse, & Apostolos docuisse post Resurrectionem suam. Illas tamen materias, & formas instituifse tantùm in genere, at Ecclesiæ potestatem reliquifse illas in specie, & in particulari instituendi, seu determinandi.

Dicitur 3. *Quo verbis, & signis exterioribus*; Ordinatio enim perficitur materia & forma: materia autem plerumque duplex, proxima & remota; hæcque multiplex partialis, forma item multiplex partialis, de quibus agetur, agendo de singulis Ordinibus in particulari.

Dicitur 4. *Ab Episcopo adhibitis*; soli enim Episcopi sunt Ministri Ordinis, ut definit Conc. Tridentinum hoc Canone 7. „ Si quis dixerit, Episcopos non esse superiores Presbyteris, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse communem cum Presbyteris, anathema sit. „ Quis Minister Ordinationis.

Nota tamen simplicibus Sacerdotibus, non verò aliis, qui non sint Sacerdotes demandari posse a summo Pontifice potestatem conferendi Tonsuram, minores Ordines, Subdiaconatum, ut revera concessa est Cardinalibus Presbyteris, & Abbatibus quibusdam. An simplices Sacerdotes conferre possint Minores, & Subdiaconatum.

A quo Episcopo possit, & debeat fieri Ordinatio.

Nota 2. A quolibet Episcopo, etiam alieno, etiam hæretico, vel degradato, validè Ordines posse conferri, non verò licitè nisi a Catholico, & in communione Ecclesiæ existente, qui sit proprius Episcopus, maximè ratione originis; vel alienus, de licentia proprii Episcopi.

An fœminæ possint recipere Ordines.

Dicitur 5. *Traditur Ordinato*; subjectum enim ordinis suscipiendi debet esse masculus, non fœmina; jure enim, non tantùm Ecclesiastico, sed & naturali, ac divino mulieres sunt incapaces Ordinationis sacræ: adeout etiam Beatæ Virgini, quæ Apostolis multò dignior erat, ista potestas non fuerit concessa.

Unde dictæ sint Episcopæ, & Presbyteræ.

Unde Episcopæ & Presbyteræ, de quibus fit mentio in Canonibus, dictæ sunt, non ab ullo Ordine sacro, vel ministerio, sed a viris suis, qui ad Episcopatum vel Presbyteratum promoti fuerant; quibus mulieribus perpetuæ continentiæ lex præcipiebatur, antequam earum mariti sacris Ordinibus initiarentur, & quæ ampliùs non uxorum loco, sed sororum ab ipsis habebantur.

Quid Diaconissæ.

Diaconissæ verò sacram Ordinationem non suscipiebant, & earum Ordinatio, etiam cum manuum impositione facta, non erat sacramentalis, sed mera cœremonia, qualis est Abbatissarum benedictio; earumque Diaconissarum ministerium fuit ab Ecclesia institutum, ut ea officia

præ-

præstarent mulieribus, quæ Diaconi præstabant viris, maximè in immersione Baptismi, ut consuleretur muliebris sexus honestati: præterea portas Ecclesiæ mulieribus, quæ erant a viris separatæ, aperiebant, ipsas rudimenta fidei docebant, mulierum pauperum curam habebant cum Diaconis; at altaris Sacrificio non ministrabant, vasa sacra non tractabant, non canebant Evangelium, non prędicabant, non baptizabant.

Nota, quod Ordinandus, ut licitè Ordines suscipiat, nulla culpa lethali inquinatus esse debet, nullo censuræ vinculo, nullàque irregularitate impeditus; sed ætatem, probitatem, scientiam, rectam intentionem, cæterasque qualitates, quæ de jure requiruntur, habere debet. De irregularitate & censuris postea dicetur. Quænam sint qualitates Ordinandorum.

Nota 2. Quod Ordinandi apprimè scire debent ritus, qui observantur in collatione Ordinum; quid etiam ritus significent. Quæ omnia discere poterunt ex Catechismo Romano, vel Pontificali.

Dicitur 6. *traditur gratia, & spiritalis quædam potestas*; duplex est enim effectus Ordinis, nempe gratia, & character, seu spiritalis potestas. Et hoc est de fide definitum in Conc. Trid. hoc Canone. 4. „ Si „ quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum: „ aut per eam non imprimi chara- Effectus Ordinationis sunt gratia, & character.

„ cte-

„ cterem, vel eum, qui Sacerdos „ semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit. „

Quotuplex gratia confeatur.

Nota 1. Quod gratia duplex confertur per Ordinationem; una est sanctificans, seu habitualis secunda, altera est actualis ad ritè & dignè obeunda munia Ordinis suscepti.

An character in Hæreticis remaneat.

Nota 2. Quod character, seu potestas spiritalis remanet etiam in Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, & Degradatis.

Quid prærequirat character Ordinis.

Nota 3. Quod character Ordinis necessariò, & absolutè supponit characterem Baptismi, itaut sine ipso nullus sit; supponit verò charecterem Confirmationis de necessitate præcepti duntaxat.

An Ordinationes *per saltum* sint validæ, an licitæ.

Nota 4. Quod character Ordinis superioris supponit charactarem Ordinis inferioris, de necessitate præcepti duntaxat, v. gr. character Sacerdotalis characterem Diaconatus, itaut Ordinati per saltum, ut ajunt, validè quidem ordinati sint, sed non licitè. Verùm character Episcopalis supponit absolutè characterem Sacerdotalem, itaut sine ipso nullus sit.

Dicitur 7. *traditur potestas aut ad Eucharistiam consecrandam, aut ad ministeria Ecclesiastica, &c.* Potestas enim consecrandi Corpus Christi, quæ est propria Ordinis Sacerdotalis, est omnium Ordinationum finis ultimus, & præcipuus, ad quem omnes referuntur, & cujus gratia institutæ

sunt:

ſunt: in ſacro enim Altaris miniſterio multi ſunt gradus ordinatiſſima diſpoſitione diſtributi, unde & dicuntur *Ordines*, quorum graduum, & Ordinum miniſteria proximè vel remotè conferunt ad Euchariſtiam conſecrandam: Oſtiariorum namque officium eſt, arcere ab Eccleſia Infideles, Hæreticos & Excommunicatos; Fideleſque, & dignos, qui adſint Myſteriorum celebrationi admittere; Lectorum eſt, Prophetiarum veteris & novi Teſtamenti lectione homines præparare ad Myſteriorum participationem: Exorciſtarum, dæmones ejicere ab iis, qui Myſterii participes eſſe debent: Acolythorum, ſacrificii materiam præparare, & porrigere in urceolis Subdiacono: Subdiaconorum, ipſam eandem materiam porrigere Diacono, & epiſtolam legere in Miſſa: Diaconorum eandem Sacrificii materiam porrigere in vaſis ſacris Sacerdoti celebranti, & Evangelium legere: Sacerdotum verò officium eſt, Corpus Chriſti conſecrare & offerre: Epiſcoporum denique officium eſt, conferre Sacerdotibus hanc poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti.

Quare Ordines ſic dicantur, & quomodo eorum officia ad Euchariſtiā referantur.

Nota 1. Ex his, ſeptem eſſe Ordines, juxta doctrinam Conc. Trid. nempe Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum ſeu Sacerdotium, quod du-

Quot ſint Ordines.

duplex est, simplex, & majus, seu Episcopatus.

Nota 2. Secundùm Conc. Trid. & Theologos, Tonsuram clericalem non esse Ordinem, sed præparationem ad Ordines, licèt lato modo possit dici quidam Ordo, ut existimatur a Canonistis. Idem dicendum est de Cantorum, & Psalmistarum, & aliorum officiis Ecclesiasticis, quæ non sunt propriè Ordines.

Quinam sint majores Ordines. Quinam minores. & cur sic dicantur.

Nota 3. Ex his septem Ordinibus quatuor esse minores & tres majores: minores autem sic dici, quia. 1. Per ipsos ad majores fit ascensus. 2. Quia in ætate minori conferuntur; possunt enim conferri ante annum decimum quartum: Subdiaconatus verò ante vigesimum secundum, Diaconatus ante vigesimum tertium, Presbyteratus ante vigesimum quintum inchoatum conferri non possunt, licitè scilicet; nam validè possunt conferri pueris antequam usum rationis habeant. 3. Quia ipsis minora incumbunt onera; non enim iis initiati tenentur lege continentiæ servandæ & Officii recitandi ut majores Ministri. 4. Quia minus prope accedunt ad Altare, & ad Eucharistiam consecrandam, ut patet ex dictis; & hinc patet, cur Ordines majores sic appellentur.

Quinam sacri, & cur sic appellentur

Nota 4. Quod majores dicantur etiam sacri: 1. Ratione rerum sacrarum, circa quas habent potestatem; Subdiaconus enim vasa sacra pallas, &c.

&c. tangere potest, Diaconus Eucharistiam ipsam, saltem in vasis sacris; Sacerdos verò ipsum Christi Corpus consecrat. 2. Dicuntur sacri, & quidem præcipua ratione, propter cœlibatum ipsis annexum, sicque Subdiaconatus non fuit semper sacer Ordo, quia lex continentiæ antiquitus non erat Subdiaconis imposita; non autem dicuntur sacri ideo quod sint Sacramenta, nam secundùm omnes Theologos, nunc Subdiaconatus est sacer Ordo, attamen non secundùm omnes est Sacramentum; item secundùm omnes Theologos, minores Ordines non sunt sacri, & tamen, in sententia D. Thomæ, & plurimorum Theologorum, sunt Sacramenta.

An Papatus sit Ordo.

Nota 5. Papatum, Patriarchatum, & Archiepiscopatum; non esse propriè Ordines, sed duntaxat gradus diversæ dignitatis, & potestatis, seu Jurisdictionis in Hierarchia Ecclesiæ.

Quid sit Hierarchia, & quibus gradibus constet.

Nota 6. Quod Hierarchia Ecclesiæ, quæ secundum nomen est *sacer Principatus*, definitur, *Ordo præpositiorum, & sacrorum Ministrorum, ad Ecclesiæ regimen, & hominum sanctificationem a Christo institutus*. Porrò constans est dogma Fidei a Conc. Trid. definitum *can.* 6. hanc Hierarchiam in Ecclesia divinitùs esse institutam, eamque Episcopis, Presbyteris & Ministris constare; Ministrorum verò nomine, præsertim Diaconi intelliguntur.

Nota

An Episcopi jure divino sint superiores Presbyteris.

Nota 7. Quod est de fide, ut cap. 4. docet Conc. Trid. Episcopo jure divino esse superiores Presbyteris & habere potestatem confirmandi & ordinandi, & alia pleraque peragendi, quam non habent reliqui inferioris Ordinis.

An character Episcopalis sit novus character.

Inde collige, hanc Episcopalem potestatem non Jurisdictionis duntaxat, sed etiam Ordinis esse, proindeque novum esse characterem; licèt quidam antiqui Theologi existimaverint, characterem Episcopalem esse tantùm extensionem charateris Sacerdotalis.

An Episcopatus sit ordo distinctus ab aliis.

Collige præterea Episcopatum, non solùm esse apicem, & consummationem Sacerdotii, sed etiam esse Ordinem a simplici Presbyteratu distinctum, atque verum esse Sacramentum, idque ita nunc constat inter Theologos, ut opposita scientia erronea videatur.

Quotuplex Sacerdotium.

Collige denique, Sacerdotium duplex esse, aliud simplex, & secundi Ordinis; aliud verò majus & superius, primique Ordinis.

An Primatus summi Pontificis sit de jure divino.

Nota 8. Dogma esse Fidei, summum Pontificem, utpote sancti Petri Successorem in Cathedra Romanæ Ecclesiæ, jure divino Primatum obtinere in universa Ecclesia, & amplissimam potestatem & juridictionem habere in omnes Christianos, tanquam totius Ecclesiæ caput; illudque dogma definitum est a Conc. Florentino.

Nota

Nota denique, nomine Ordinis intelligi. 1. Statum & gradum hominum, qui consecratione destinati sunt ad ministerium aliquod exercendum in Sacerdotii functione. 2. Consecrationem ipsam, & sacram Ordinationem eorum. Cùm itaque, ait Catechismus Romanus, in hoc ministerio multi sint gradus & variæ functiones, omnia verò certa ratione distributa sint, & collocata; & rectè commodè Ordinis nomen huic Sacramento impositum videtur.

Quotuplex sit Ordinis significatio.

Quid est Ostiariatus?

EST *Ordo, quo traditione clavium, sub præscipta verborum forma, traditur potestas, ad claudendas, & aperiendas Ecclesiæ januas; & ad arcendos ab ipsa indignos, Infideles scilicet, & Excommunicatos, dignosque in ipsam admittendos.*

Dicitur 1. *ordo* nempe minor, & non sacer.

Dicitur 2. *quo traditione clavium*; nam claves sunt materia remota hujus Ordinis, traditio verò ipsarum est materia proxima.

Dicitur 3. *sub præscripta verborum forma*, ut innuatur forma, quæ in verbis prolatis ab Episcopo, cum traduntur claves tangendæ, consistit.

Dicitur 4. *traditur potestas ad claudendas & aperiendas, &c.* hæc sunt duo

Officia Ostiariorum.

duo præcipua Officia Ostiariorum; at præter illa officium est ipsorum, campanas pulsare; unde cùm ordinati sunt Ostiarii, januam Capellæ claudunt, & aperiunt, & campanam pulsant, ut potestate, quam receperunt, uti incipiant, & officio fungantur.

Quid est Lectoratus?

EST *Ordo, quo traditione libri Lectionum, tum novi tum veteris Testamenti, sub prascripta verborum forma, traditur potestas ad illas legendas in Officio Divino, & ad instruendos Fideles.*

Dicitur *Ordo*, scilicet minor, & non sacer.

Dicitur 2. *traditione Libri Lectionum*, ut indicetur materia proxima, & remota.

Dicitur 3. *sub prascripta verborum forma*, ut indicetur, formam esse verba prolata ab Episcopo, cùm traditur lectionum liber tangendus.

An in Ecclesia Græca sint minores Ordines. Nota, quod in Ecclesia Græca in qua ex omnibus minoribus Ordinibus solus est Lectoratus, Lectores ordinantur per solam manuum impositionem, adjuncta oratione tanquam forma.

Quænam sint officia Lectorum. Dicitur 4. *traditur potestas, &c.* hic exprimuntur præcipua officia Lectorum, nempe legere Lectiones veteris & novi Testamenti in Officio divi-

divino, & tradere Fidelibus rudimenta Fidei.

Nota, quod apud Græcos, Lectores Epistolam in Missa legunt; & oblationes, vinum, & aquam, Sacerdoti celebranti deferunt.

Quid est Exorcistatus?

EST *Ordo, quo traditione libri Exorcismorum, sub præscripta verborum forma, traditur potestas ad legendos Exorcismos super Energumenos, ut dæmonem ab ipsis expellant.*

Dicitur *Ordo*, scilicet minor, & non sacer.

Dicitur 2. *traditione libri Exorcismorum*, ut indicetur materia proxima, & remota hujus ordinis.

Nota, quod loco libri Exorcismorum, potest tradi Missale, vel Pontificale.

Dicitur 3. *sub præscripta verborum forma*; ut indicetur, verba prolata ab Episcopo, cùm profertur liber Exorcismorum, esse formam.

Dicitur 4. *traditur potestas, &c.* principale enim officium hujus Ordinis est legere Exorcismos, ad expellendum dęmonem è corpore Energumenorum, seu eorum, qui a dæmonibus possidentur. Officium Exorcistarum.

Quid est Acolythatus?

EST *Ordo, quo traditione urceoli vacui, & ceroferarii cum cereo, sub praescripta verborum forma, traditur potestas ad eosdem urceolos cum vino, & aqua porrigendos in Sacrificio Missae, & ad luminaria accensa deferenda, maximè cùm legitur Evangelium.*

Dicitur *Ordo*, minor scilicet, & non sacer.

Dicitur *quo traditione urceoli vacui & ceroferarii cum cereo*; duplex enim est materia proxima, & duplex remota; urceolus scilicet, & ceroferarium.

Huic duplici materiae partiali, respondet duplex forma. Denique ex definitione colligi potest, quaenam sint praecipua officia Acolythorum: qui ideo dicuntur Acolythi, nomine Graeco, quod Subdiaconum in Altaris ministerio sequi debeant, sicut Subdiaconus sequi debet Diaconum, & ipsius veluti Minister est, sicut & ipse Diaconus Sacerdotis est Minister; inde colligas etymologiam nominum *Acolythi*, *Subdiaconi*, & *Diaconi*.

Quaenam est etymologia horum nominum *Acolytus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*.

Quid est Subdiaconatus?

EST *Ordo, quo traditione calicis vacui, cum patena vacua, & libri Epi-* *stola-*

stolarum, sub præscriptis verborum formis, traditur potestas, tum præparandi materiam Sacrificii, tum legendi Epistolam, dum Missa celebratur.

Dicitur 1. *ordo*, & quidem major, & sacer.

Dicitur 2. *quo traditione calicis vacui, & patenæ vacuæ, &c.* materia enim remota hujus Ordinis duplex est partialis, nempe calix vacuus cum patena vacua, & liber Epistolarum; huic duplici materiæ remotæ correspondet duplex materia proxima, nempe traditio utriusque materiæ; item correspondet duplex forma; traditioni quidem calicis hæc forma, seu hæc verba prolata ab Episcopo, *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut vos ita exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Traditioni verò libri Epistolarum hæc correspondent, *Accipe librum Epistolarum; & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tàm pro vivis, quàm pro defunctis.* Quænam materia Subdiaconatus. Quænam forma.

Nota 1. Quod aliqui addunt pro materia, porrectionem urceolorum cum aqua & vino, & linteolo, quo manus Sacerdotis absterguntur, quæ instrumenta porrigit Archidiaconus; sed verius est ista Subdiaconis tradi, ut admoneantur, ipsos Diaconis subservire debere, non verò ut per ista Ordo ipsis conferatur. An porrectio urceolorum sit essentialis. An traditio libri Epistolarum, sit essentialis Ordinationi Subdiaconorum.

Nota 2. Quod non in sola libri Apostolici traditione, Subdiaconatus materia sita esse videatur; traditio

enim iſtius libri in Ordinatione Subdiaconorum perpetua non fuit; nam ejus non meminerunt antiqua Ritualia, immò propter hanc rationem aliqui Theologi hanc traditionem libri Apoſtolici cum verbis illis correſpondentibus, ad eſſentiam hujus Ordinis minimè pertinere contendunt, ſed tantùm ad integritatem; in Eccleſia Latina duntaxat, non verò in Græca, in qua ſola manus impoſitio ſine ulla traditione inſtrumentorum, & oratio materiæ & formæ rationem habent, ut conſtat ex eorum Euchologiis, ſeu libris Ritualibus.

Argumenta ſententiæ negativæ.

Nota 3. Quod traditio libri Apoſtolici in ſententia iſtorum Theologorum qui illam ad eſſentiam hujus Ordinis pertinere nolunt, eſt tantùm de inſtitutione Eccleſiæ: at in ſententia aliorum, qui ſecus ſentiunt, & qui ſubdiaconatum eſſe Sacramentum exiſtimant, illa traditio inſtituta eſt a Chriſto in genere, in particulari verò inſtituta, ſeu potiùs determinata eſt ab Eccleſia.

Officia Subdiaconorum.

Dicitur 3. *traditur poteſtas, &c.* hic deſignantur præcipua officia Subdiaconorum, nempe præparare panem & vinum ad ſacrificandum, eaque porrigere Diacono: deinde legere Epiſtolam, dum Miſſa celebratur.

Nota, quod alia ſunt officia, nempe corporalia & pallas abluere: aquam Sacerdoti præbere ad abluendas manus; Sacerdoti ſacris operanti,

ti assistere, illumque custodire; Diacono inservire &c.

Nota 2. Quod Subdiaconatus Ordini tres obligationes annexæ sunt. Prima est, obligatio habendi titulum sive beneficii, sive patrimonii, ne curæ rerum temporalium Subdiaconos a sacris ministeriis distrahant: respectu vero Monachorum & Religiosorum Professio religiosa in Religione approbata tenet locum tituli. Secunda est, obligatio castitatis servandæ. Tertia est, obligatio recitandi Breviarium, ut dicetur infra tertia parte.

De obligationibus Subdiaconorum.

Quid est Diaconatus?

EST *Ordo, quo, impositione manuum ab Episcopo facta, cum traditione libri Evangeliorum, sub præscriptis verborum formis, traditur potestas inserviendi Sacerdoti celebranti, porrigendo ipsi materiam Sacrificii, & legendi Evangelium in Missa.*

Dicitur 1. *Ordo*, major scilicet, & sacer.

Dicitur 2. *quo impositione, &c.* & *traditione, &c.* ad designandas duas materias partiales hujus Ordinis, quarum prima est impositio manuum Episcopi, altera traditio libri Evangeliorum: huic duplici materiæ correspondet duplex forma; impositioni manuum, correspondet oratio Episcopi, vel potiùs hæc verba: *Accipe*

Quænam sit materia Diaconatus.

Quænam forma.

Spiritum sanctum, ac robur ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini. Traditioni verò Evangeliorum, correspondent hæc verba tanquam forma: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tàm pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

An impositio manuum sit essentialis

Nota 1. Impositionem manuum Episcopi, cum oratione adjuncta, pertinere ad essentiam hujus Ordinis; cùm sic ordinatos fuisse primos Diaconos ab Apostolis legatur in Actibus Apostolorum.

An traditio instrumentorum sit essentialis Ordinationi Diaconorum.

Argumenta sententiæ negativæ.

Nota 2. Quod quidam Theologi sentiunt sola manuum impositione, non verò traditione certorum instrumentorum, primis sæculis ordinatos esse Diaconos, immò in Ordinationibus quæ per manus impositionem fiebant, nulla instrumenta tradita fuisse, ac proinde traditionem libri Evangeliorum non esse de essentia Ordinis Diaconatus, sed esse ex institutione Ecclesiæ, & ad materiæ integritatem accessisse, cum forma ipsi correspondente.

Argumenta sententiæ affirmativæ.

Nota 3. Quod alii Theologi sentiunt, hanc traditionem Evangeliorum esse de essentia Diaconatus; idque colligunt præsertim ex Conc. Florentino, & dicunt fuisse a Christo in genere institutam, in particulari verò ab Ecclesia determinatam; unde nec mirum, quod non semper usurpata fuerit ab Ecclesia, si verum sit quod non fuerit semper usurpata.

ta. Cùm autem constet, non usurpatam fuisse eo tempore, quo nondum erant conscripta Evangelia, v. gr. dum Apostoli ordinarunt primos Diaconos, dicunt illi Theologi, ex dispensatione Christi Diaconos tunc ordinatos fuisse, sine traditione libri Evangeliorum.

Dicitur 3. *quo traditur potestas &c.* hìc designantur præcipua Diaconorum officia, nempe inservire Sacerdoti celebranti, eique porrigere in vasis sacris materiam Sacrificii; deinde Evangelium legere in Missa. Præter illa officia, sunt etiam alia, nempe administrare Baptismum solemni ritu, de licentia tamen Superiorum; in urgente necessitate; alioquin irregulares fierent illi Diaconi. 2. Evangelium prædicare ex commissione Episcopi. 3. Episcoporum sequi, concionantem custodire: immò & ipsum, de iis quæ non rectè aguntur in Diœcesi, admonere: quod officium hodie ad solos Archidiaconos pertinet. Quænam sint officia Diaconorum.

Quid est Presbyteratus?

EST *Ordo, quo, traditione Calicis cum vino, & aqua, ac patena cum pane superposito, nec non impositione manuum ab Episcopo facta, sub præscriptis verborum formis, traditur potestas ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi; & ad remittenda, retinendaque peccata.*

Cur Sacerdotes *Presbyteri*, & *Sacerdotes* appellentur.

Dicitur 1. *Ordo*, & quidem præcipua ratione, tum major, ad quem nempe omnes alii referuntur: tum sacer; qui enim hoc Ordine sunt insigniti *Sacerdotes* nominantur, & quia Deo præsertim consecrati sunt, & quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, resque sacras ac divinas tractare. Apud Græcos dicuntur *Presbyteri*, id est *Seniores*, non solùm propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maximè necessaria est, sed multò magis propter gravitatem morum, doctrinam, & prudentiam, quæ in iis requiruntur.

Sacerdotiū duplex proprié, & impropriè dictum.

Nota, quod duplex est Sacerdotium; aliud spiritale & æternum, quod est generale, & ad omnes Christianos pertinet, cujus fundamentum est Baptismus, & quod in oblatione orationum & gratiarum actione positum est, istudque Sacerdotium metaphoricè & impropriè sic dicitur: aliud verò Sacerdotium propriè dictum, externum scilicet, & visibile, a Christo institutum, ad sacrificandum Corpus & Sanguinem ejus, nec non ad remittenda, retinendaque peccata, quod Sacerdotium solis Ordinatis ab Episcopis per manuum impositionem competit. Istudque dogma fidei, quod ex Scriptura & Traditione habetur, definitum est a Concil. Trid. can. 1. contra Hæreticos, illud novi Testamenti Sacerdotium negantes, Calvinianos scilicet & cæteros.

Dici-

Quænam sint materiæ, & formæ Ordinationis Presbyterorum.

Dicitur 2. *quo traditione, &c. & impositione &c.* Nam secundùm communem Theologorum sententiam, duæ sunt materiæ partiales proximę Presbyteratus. Prima, traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane; Altera impositio manuum facta a solo Episcopo super Ordinandum. Item sunt duæ formæ partiales: prima, quæ correspondet traditioni Calicis & Patenæ, hæc est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tàm pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Secunda, quæ correspondet impositioni manuum Episcopi, hæc est: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ materiæ & formæ sunt de essentia hujus Ordinis.

An sola manuum impositio sit essentialis huic Ordinationi.

Argumenta sententiæ affirmativæ.

Nota, tamen. 1. Quosdam Theologos censere, solam manuum impositionem cum oratione adjuncta, esse de essentia Ordinationis Sacerdotalis, cùm de illa sola fiat mentio in Scriptura sacra, nempe in Epistola prima & secunda ad Timotheum, solamque manuum impositionem commemorent antiqui Libri, Rituales Latini & Græci, traditionisque instrumentorum non meminerint: quæ traditio instrumentorum apud Græcos incognita semper fuit, & tamen Ordinationes eorum Ecclesia Romana semper probavit. Illa ergo traditio instrumentorum secundùm illos Theologos,

logos, minimè ad essentiam Presbyteratus, sed ad integritatem tantùm, in Ecclesia Latina, pertinere censenda est.

Argumenta sententiæ negativæ.

Alii vero Theologi, ac Scholastici ferè omnes docent, post Eugenium, *Decreto pro instructione Armeniorum*, in Concilio Florentino, traditionem instrumentorum cum his verbis correspondentibus, *accipe potestatem*, *&c.* pertinere ad essentiam hujus Ordinis, & habere rationem, saltem partialis materiæ, & formæ: dicuntque, Christum materias & formas Ordinationum in genere instituisse, itaut, ex Ecclesiæ institutione & usu, speciale aliquid pro materia & forma addi posset, cujus omissio Ordinationem irritam faceret.

Quænam manuum impositio sit essentialis.

Nota 2. Quod, secundùm quosdam Theologos, prior illa manuum impositio ab Episcopo, & ab omnibus Presbyteris assistentibus facta super caput cujuslibet Ordinandi, vicem habet materiæ; oratio vero adjuncta vicem habet formæ, atque ad substantiam Ordinationis hujus pertinet: postrema autem quæ fit ab Episcopo, cùm profert hæc verba, *accipite Spiritum sanctum*, *&c.* non pertinet ad substantiam, sed tantùm ad integritatem Ordinationis, cùm hæc postrema manuum impositio, cum verbis correspondentibus, *accipite Spiritum sanctum*, *&c.* Græcis ignota sit, ut patet ex eorum Euchologiis, seu Ritualibus Libris, & absint ab

anti-

antiquis Ritualibus Ecclesiæ Latinæ, ante duodecimum sæculum scriptis.

Communior tamen sententia est, ultimam impositionem manuum esse essentialem: primam verò, esse cæremonialem solummodo, & merè accidentalem.

Nota 3. Propter has dissidentes Theologorum sententias, quod si quis ritus omissus fuisset, v. gr. manuum prima impositio, vel adjuncta oratio: aut Calicis cum vino, & aqua, Patenæ cum Hostia traditio, adjunctaque formula verborum, aut unctio manuum (quæ, secundùm quosdam Theologos, est etiam essentialis, licèt non semper fuerit usurpata in Ecclesia Latina) aut denique manuum impositio postrema, cùm his verbis, *accipite Spiritum sanctum*; nota, inquam, quod debet id, quod omissum est, suppleri ab Episcopo. Idemque dicendum est de Ordinationibus omnibus aliis omnibus.

Dicitur 3. *traditur potestas &c.* duplex ergo traditur potestas in Ordinatione Sacerdotali: prima; in Corpus Christi verum, ad illud scilicet consecrandum: secunda, supra Corpus ejus mysticum, nempe Ecclesiam, ad remittenda scilicet, & retinenda peccata Christianorum.

Quænam potestates dentur Sacerdotibus & quænam eorum officia.

Nota, quod hæ duæ potestates partiales Sacerdotii ita inter se comparantur, ut prima potestas independens sit a secunda, secunda verò dependens

An potestas absolvendi supponat necessariò potestatem consecrandi.

pendeat a prima & necessariò suppo-
nat ipsam.

Nota 2. Quod præter illa duo officia Sacerdotalis Ordinis, sunt etiam alia, nempe conferre Baptismum, & Extremam Unctionem,(non verò Confirmationem & Ordinem,) verbum Divinum prædicare, & alia omnia, cultum Divinum spectantia peragere, modò Episcopis non reserventur.

Quid est Tonsura?

EST *Cæremonia Ecclesiastica, qua quis tonsis capillis in modum coronæ, cooptatur in Clerum, disponitur ad Ordines suscipiendos, fitque capax Beneficiorum aliorumque privilegiorum Ecclesiasticorum.*

Tonsura non est Ordo.

Dicitur 1. *cæremonia Ecclesiastica*; nam Tonsura Clericalis non est Ordo, cum non sit instituta a Christo, sed ab Ecclesia, & certè Concil. Trid. cap. 2. ipsam distinguit ab ordinibus.

Nota ipsam non habere materiam & formam, ut alii Ordines, nec conferre gratiam ex opere operato, nec per ipsam dari ullam potestatem spiritalem in ordine ad Eucharistiam, cum impressione characteris.

A quo sit instituta Tonsura, & quid significet.

Dicitur 2. *qua quis, tonsis capillis in speciem coronæ*. Hic ritus fertur institutus esse a S. Petro, in memoriam Coronæ spineæ Christo impositæ. Hanc coronam dicunt quidam significare Regiam dignitatem eorum.

eorum, qui in sortem Domini vocantur. Alii dicunt significare vitæ perfectioris professione; circulus enim est perfectior figura. Alii denique dicunt significare rerum externarum & superfluarum contemptum.

Dicitur 3. *qua quis cooptatur in Clerum*; nam per Tonsuram homo fit Clericus, & transfertur ad statum Ecclesiasticum a statu Laicorum.

Nota, quod hoc nome *Clericus*, derivatur a *Clero*, verbo Græco, quod sortem significat. Dicuntur ergo Clerici a sorte, eò quod Dominus sit sors & hæreditas eorum: unde cùm ipsis tondentur capilli, dicunt: *Dominus pars hæreditatis meæ*, *&c.* Hinc tamen non inferendum est cum Vvicleffo hæretico, possessionem bonorum temporalium interdictam esse Clericis, sed inferendum duntaxat, Clericos congerendis opibus studere, & curis sæcularibusque negotiis se implicare non debere. Unde *Clerici* sic dicti.

Dicitur 4. *disponitur ad Ordines*, quia Tonsura est dispositio ad Ordines, ut Novitiatus ad Professionem, & sponsalia ad Matrimonium; itaut licitè non possint conferri Ordines, nisi post collatam Tonsuram. Quibus, & ad quid necessaria sit Tonsura.

Dicitur 5. *fitque capax beneficiorum*, quia collatio Beneficii Ecclesiastici facta ei, qui Tonsura non est insignitus, nulla est.

Dicitur 6. *aliorumque privilegiorum* quorum præcipua sunt, privilegium Quid. sint privilegia fori, & canonis.

fori,

fori Ecclesiastici, seu immunitas a potestate sæculari, in quibusdam casibus, & privilegium *Canonis*, quo sub pœna excommunicationis interdicitur; ne manus violentæ injiciantur in Clerum, hic Canon est. *Si suadente diabolo*.

SECTIO II.

De Censuris.

Quid est Censura?

EST *pœna spiritalis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum bonorum aliquorum spiritalium usu, propter animæ salutem.*

Dicitur 1. *pœna spiritalis*; nam est malum quod animam afficit.

Qui possint ferre censuras.

Dicitur 2. *inflicta ab Ecclesiastica potestate*; a solis enim Prælatis, vel aliis, modò Clerici sint, ex Prælatorum commissione infligi potest.

In quos ferri possint.

Dicitur 3. *hominem baptizatum*; in solos enim baptizatos potestatem habet Ecclesia, non verò in eos, qui foris sunt.

Quinam sint effectus Censurarum.

Dicitur 4. *privans usu bonorum spiritalium*, primariò scilicèt; nam secundariò privat bonis temporalibus, v.gr. communicatione civili cum fidelibus.

Dici-

Dicitur 5. *aliquorum bonorum* communium scilicet, id est, eorum, quę Ecclesiæ potestati subjiciuntur, v. gr. privat participatione Sacramentorum, & suffragiorum, functione munerum Ecclesiasticorum, &c. non verò privat gratia, virtutibus infusis, earumque actibus; qui enim excommunicatur, v. gr. supponitur jam perdidisse gratiam per peccatum mortale, propter quod solùm potest ferri excommunicatio major; sed si conteratur ille, recuperat gratiam & virtutes; privatus tamen remanet usu communium bonorum, donec absolvatur a censuris.

An censura privet gratia.

Dicitur 6. *propter salutem animæ*; nam rei emendatio est finis censuræ; censura enim est pœna medicinalis inflicta propter peccatum, non quidem merè internum sed & præterea externum, ut peccator hac pœna correptus emendetur.

Quis finis censurarū.

Nota 1. Quod irregularitas, licèt aliquando sit pœna, non tamen est censura, quia per ipsam non intenditur delinquentis emendatio; & multæ sunt irregularitates, quæ contrahuntur absque ullo crimine.

Irregularitas non est censura.

Nota 2. Quod depositio, degradatio, suspensio in perpetuum, non sunt censuræ, quia finis earum non est emendatio eorum qui illis subjiciuntur.

Nota 3. Quod tres sint censuræ; *excommunicatio*, *suspensio*, & *interdictum*.

Quot sint censuræ.

Quid

Quid est Excommunicatio?

EST censura Ecclesiastica, qua quis separatur a communione Sanctorum.

Quid communio Sanctorum.

Per *communionem Sanctorum*, intelligitur participatio Sacramentorum, suffragiorum, &c. & Fidelium communicatio.

Quotuplex excōmunicatio, & quinam effectus tū majoris, tum minoris.

Duplex est excommunicatio; major & minor. Excommunicatio major est *excommunicatio, qua quis privatur participatione tàm activa quàm passiva Sacramentorum, & communione seu communicatione Fidelium.*

Excommunicatio minor, est *excommunicatio, qua quis privatur participatione tantùm passiva Sacramentorum, & communione Fidelium.*

Quid participatio activa Sacramentorum, quid passiva. Alii effectus excōmunicationis majoris.

Nota 1. Per *participationem activam*, intelligi administrationem Sacramentorum; per *passivam* verò receptionem eorum.

Nota 2. Excommunicationem majorem præter privationem activæ & passivæ Sacramentorum participationis, & communionis Fidelium, plures alios habere effectus; privat enim communibus suffragiis & orationibus, quæ fiunt ab Ecclesia pro suis membris; privat auditione Missæ, & Divinorum Officiorum: privat sepultura Ecclesiastica: privat Beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis in posterum obtinendis, itaut col-

collatio Beneficii facta excommunicato majore excommunicatione nulla sit: privat denique usu specialis jurisdictionis etiam in foro exteriori.

Nota 3. Quod per *communionem* intelligitur communicatio in iis quæ exprimuntur hoc versiculo. Quid communio.

Os orare, vale; communio, mensa negatur.

Id est communicatio in signis amicitiæ, in oratione, societate, cohabitatione, & refectione.

Nota 4. Quod incurritur minor excommunicatio participando in iis omnibus supradictis cum excommunicato majore excommunicatione, modò ille excommunicatus sit vitandus: est autem vitandus, cùm sententia Judicis declaratus est excommunicatus, vel cùm notoriè est Clerici, vel Religiosi percussor. Quandonã minor excommunicatio incurratur.

Attamen non incurritur illa minor excommunicatio in his casibus, cùm adest necessitas, vel utilitas, vel ignorantia, vel lex Matrimonii, vel obedientia debita superiori, quæ omnia hoc versiculo exprimuntur. Quænam causæ excusantes ab excommunicatione minori.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Nota 5. Excommunicationes, alias esse a jure, seu a lege; alias ab homine, seu per sententiam specialem latas.

Quænam verò sint excommunicationes a jure, & quot sint, & quis ab eis absolvere possit, & multa alia,

alia, quæ spectant ad notitiam excommunicationum, vide apud Binsfeldium parte 5. Enchridii, & alios Summistas.

Quid est Suspensio?

EST *censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ impeditur, quominus functiones Ecclesiasticas exerceat, aut aliqua potestate Ecclesiastica utatur.*

An omnis suspensio sit censura.

Dicitur 1. *censura;* non tamen illud intelligendum est de omni suspensione, nam sunt quædam suspensiones, quæ sunt pœnæ, sed non pœnæ medicinales, & inflictæ ad corripiendam contumaciam, id est, quæ non infliguntur ad emendationem reorum, ut sunt suspensiones ad certum tempus, v. gr. ad triennium, quæ tolluntur elapso tempore, sine ulla absolutione; item suspensiones in perpetuum sine spe veniæ; & proinde non sunt propriè censuræ.

An soli Clerici suspendi possint.

Dicitur 2. *qua Minister Ecclesiæ;* soli enim Clerici plecti possunt suspensione: at excommunicatione & interdicto omnes Christiani, tàm Laici quàm Clerici.

Quinam effectus suspensionis.

Dicitur 3. *impeditur, quominus functiones Ecclesiasticas exerceat, vel aliqua potestate Ecclesiastica utatur;* suspensio enim alia est, ab officio tantùm, alia a beneficio duntaxat, alia a beneficio & officio simul; item

item alia est ab Ordine, alia a Jurisdictione, alia ab ordine & Jurisdictione simul.

Quid sit depositio.

Depositio *est pœna Ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum privatur omni Beneficio & Officio Clericali, retento tamen privilegio fori & canonis*. Quidnam sit privilegium *fori & canonis*, jam dictum est supra, cùm de Tonsura dictum est.

Depositio non est censura. Nec degradatio.

Dicitur *pœna*, non censura, quia propter emendationem non infligitur.

Degradatio est *pœna Ecclesiastica, qua depositus Clericus privatur solemniter omni gradu Clericali, & dignitate, ac jure Ordinum, insignium & privilegiorum*. Est pœna non censura, quia infligitur ad puniendam culpam non ad emendandum reum.

Quid est Interdictum?

EST *censura Ecclesiastica, qua, certis personis, locisve, prohibetur divinorum Officiorum celebratio publica, & Sacramentorum administratio, quæ ad nascentium & morientium salutem non sunt necessaria: nec non sepultura Ecclesiastica*.

Cessatio a divinis non est censura.

Dicitur 1. *censura Ecclesiastica*; ab interdicto enim distinguitur cessatio a divinis, id est, ab officio divino, & administratione Sacramentorum, quæ cessatio non est censura, immò nec est pœna.

Dici-

Quotuplex inter dictum. Dicitur 2. *quæ certis personis, locisve*; interdictum enim aliud est personale, quod personas tantùm, aliud locale, quod loca tantùm, aliud mixtum, quod personas & loca simul afficit.

Quinam sint effectus interdicti. Dicitur 3. *celebratio publica*; nam Missa privatim, clausis januis celebrari potest, durante interdicto locali, ut præscribit Jus.

Dicitur 4. *administratio Sacramentorum quæ &c.* permittitur administratio Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum Viatici tantùm; interdicitur verò aliorum Sacramentorum administratio, & etiam benedictio nuptiarum.

Dicitur 5. *Et Ecclesiastica sepultura*, facta scilicet cum Officio Ecclesiastico, vel in loco sacro.

De suspensione & interdicto vide Binsfeldium & alios.

De Irregularitate.

Quid est Irregularitas?

EST *impedimentum canonicum ex defectu, vel delicto proveniens, quo quis prohibetur ad Tonsuram, Ordinesque promoveri, vel promotus in iisdem ministrare.*

Dicitur *impedimentum canonicum*, seu inhabilitas ad Tonsuram, & Ordines, introducta a Jure; non verò dicitur *censura*, quia omnis

omnis irregularitas non est pœna; illa autem, quæ provenit ex delicto, licèt sit pœna, non est tamen censura, quia non est medicinalis; nec ad tempus emendationis imposita.

Dicitur *ex defectu vel ex delicto proveniens*; irregularitas enim dividitur in eam, quæ est ex defectu & citra culpam, & in eam quæ est ex delicto.

Quotuplex sit irregularitas.

Irregularitas ex defectu septuplex est.

Prima, ex defectu animi, quomodo Amentes, Lunatici, Energumeni, Neophyti, & Illiterati sunt irregulares.

Secunda, ex defectu corporis, quomodo irregulares sunt Eunuchi, membro aliquo privati, insigniter deformes, leprosi, morbo caduco laborantes.

Tertia, ex defectu natalium, quomodo irregulares sunt Nothi, Spurii, Illegitimi.

Quarta, ex defectu libertatis, quomodo Servi, & ad ratiocinia obligati, sunt irregulares.

Quinta, ex defectu ætatis præscriptæ a Concilio Tridentino ad Ordines suscipiendos.

Nota, quod si quis ante ætatem præscriptam, Ordinem susciperet, validè esset ordinatus, sed suspensus remaneret ab exercitio Ordinis ante ætatem suscepti, & si eo uteretur ante legitimam ætatem, tunc fieret irregularis.

An Ordinati ante ætatê sint suspensi. An irregulares.

Sex-

An Bigami sint irregulares.

Sexta, ex defectu Sacramenti, id est, ex defectu significationis perfectæ Matrimonii, quod significat unionem Christi cum Ecclesia. Sic sunt irregulares Bigami, id est, qui duas uxores duxerunt, vel qui cum vidua aut corrupta contraxerunt, &c.

Septima, ex defectu perfectæ lenitatis, id est, ex homicidio licito, vel ex licita mutilatione, aut illius cooperatione. Sic sunt irregulares Judices, Consiliarii, Notarii, in causis criminalibus. Item Accusatores Testes, Carnifices, &c.

Irregularitas ex delicto quintuplex est.

Prima, ex iteratione Baptismi, sic sunt irregulares, qui scienter rebaptizant, vel rebaptizantur.

Quinam fiant irregulares, & quinam suspensi ex indebita receptione Ordinum, vel functione, & ex censurarum violatione.

Secunda, est ex indebita receptione, & functione Ordinum, atque ex violatione censurarum. Sic fiunt irregulares: primò, qui excommunicati excommunicatione majore, vel alia censura ligati scienter Ordines etiam minores suscipiunt, qui furtivè illos suscipiunt, vel per saltum, id est, qui non suscepto inferiore Ordine, superiorem suscipiunt, v. gr. non suscepto Subdiaconatu ad Diaconatum, vel Presbyteratum promoventur. Secundò, qui Ordines suscipiunt ab Episcopo excommunicato, interdicto, simoniaco, deposito, aut degradato; illi autem qui eos suscipiunt ab alieno, sine licen-

tia

tia proprii Episcopi, & sine Literis dimissoriis, vel extra tempora Ordinationum, vel sine vero titulo suspensi sunt, sed fiunt irregulares, si ante absolutionem exerceant actum ordinis sic suscepti. Tertiò, fiunt irregulares, qui exercent solemniter actum ordinis quem non habent, v. g. Clericus in minoribus constitutus, qui cum stola vel manipulo cantaret Epistolam in Missa. Quartò, fiunt irregulares, qui excommunicati, interdicti, vel suspensi exercent actum alicujus Ordinis, & quicunque in loco interdicto exercent.

Tertia irregularitas est ex hæresi, & apostasia a fide.

Quarta, ex homicidio illicito, vel mutilatione illicita. Sic sunt irregulares quicunque facto, vel mandato, vel consilio, vel auxilio ad necem hominis, vel membrorum mutilationem illicitam concurrunt.

Quinta, ex infamia juris vel facti, sic sunt irregulares, qui per sententiam Judicis, criminis alicujus rei declarati sunt; vel qui crimina enormia, & depositione digna, modò illa notoria sint, commiserunt. Ista autem crimina sunt adulterium, sodomia, stuprum, concubinatus diuturni temporis, &c.

An cooperantes homicidio sint irregulares.

De irregularitatibus vide Binsfeldium, & alios Summistas.

N CA-

CATECHISMI AD ORDINANDOS PARS TERTIA.

SECTIO PRIMA
De Virtutibus.

Quid est Virtus?

Quid sit virtus.

VIrtus moralis, seu, quæ est in voluntate, de qua nobis agendum, est *habitus voluntatem semper inclinans ad bonum*; seu est *habitus animæ rationalis, bonus, operativus, reddensque subjectum suum bonum, & bonum illius actum.*

Virtus quotuplex.

Virtus ratione principii dividitur in naturalem seu acquisitam, & supernaturalem seu per se infusam; ratione verò objecti in Theologicam, & Moralem.

Quid virtus naturalis, & quotuplex.

Virtus naturalis, seu acquisita est *virtus actuum frequentatione parta, inclinans, & facilitans potentiam ad similes actus rectæ rationi conformes eliciendos.*

Dividitur in Cardinales, quæ sunt principes, & veluti cardines aliarum, & in subordinatas ipsis Cardinalibus.

Quatuor autem sunt Cardinales, nem-

nempe Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia.

Prudentia est *virtus cardinalis, qua scitur quid bonum est, & quid malum; quid prosequendum, & quid fugiendum.* Quid Prudentia.

Justitia est *virtus cardinalis, qua firmatur voluntas ad reddendum unicuique quod suum est.* Quid Justitia.

Fortitudo est *virtus cardinalis, qua moderatur timorem & audaciam, maximè in periculis mortis.* Quid Fortitudo.

Temperantia est *virtus cardinalis, qua moderatur voluptates gustus & tactus.* Quid Temperantia.

Virtus supernaturalis & infusa, est *virtus a Deo solo, in nobis producta, inclinans ad actus supernaturales.* Et duplex est, Moralis quæ retinet nomen generis, & Theologica. Quid virtus supernaturalis, & quotuplex.

Virtus moralis supernaturalis, est *virtus a Deo infusa, qua habet objectum supernaturaliter cognitum, non tamen habet Deum pro immediato objecto.*

Dividitur etiam in Cardinales & in subordinatas ipsis. Quomodo inter se differant virtutes naturales, & supernaturales.

Nota igitur ex his, virtutes morales acquisitas & infusas esse easdem, nempe virtutes cardinales cum suis subordinatis & annexis, attamen differre maximè in multis. Primò, quod acquisitæ, acquiri possint viribus naturalibus, actuum repetitione; infusa verò sint dona Dei, a quo solo producuntur in nobis. Secundò, quod acquisitæ dent tantùm potentię, quę

ex se agere potest, majorem facilitatem ad agendum, infusæ verò dent facultatem agendi sine qua actus supernaturales elicere capax non est potentia. Tertiò, quod actus virtutum acquisitarum sint purè naturales, id est, a facultate naturali eliciti, ex motivo humano, seu lumine rationis cognito; actus verò virtutum infusarum sint supernaturales, id est, eliciti ex motivo supernaturali, seu lumine Fidei cognito, & producti cum gratia actuali voluntatem excitante, & adjuvante.

Quid sit virtus Theologica.

Virtus Theologica est *virtus supernaturalis seu infusa per se, qua habet Deum pro objecto immediato.*

Dicitur 1. *virtus supernaturalis, & infusa*, & in hoc convenit cum moralibus infusis.

Dicitur 2. *quæ habet Deum pro objecto immediato*, & in hoc differt ab ipsis.

Quodnam objectum materiale, & formale Fidei.

Nota, quod virtutes Theologicæ habent Deum pro objecto tàm materiali, ut vocant, quàm formali seu motivo; Fidei enim objectum materiale præcipuum est Deus: nam inter veritates, quas ex fide credere debemus, primas tenet Deus; formale verò est Deus, ut prima veritas revelans, seu authoritas Dei revelantis; nam ratio propter quam illæ veritates revelatæ creduntur, est authoritas Dei revelantis.

Spei.

Spei objectum materiale est Deus; nam Deum, ut possidendum, præcipuè speramus.

For-

Formale verò est Deus, quatenùs fidelis in suis promissis.

Charitatis objectum materiale præcipuum est ipse Deus, qui amatur; Formale verò, est ipse Deus, qui propter seipsum amatur. Charitatis.

Quot sunt Virtutes Theologicæ?

Sunt tres, Apostolo docente, Fides, Spes, & Charitas.

PARAGRAPHUS I.

De Fide.

Quid est Fides?

EST *Virtus Theologica, quæ propter authoritatem Dei revelantis, firmiter assentitur intellectus iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt, & per Ecclesiam nobis credenda proponuntur, sive scripta illa sint, sive non sint.*

Dicitur 1. *Virtus Theologica*; & in hoc convenit, cum Spe, & Charitate.

Nota 1. Quod Fides, utpote virtus infusa, sit donum Dei; contra Pelagianos & Semi-Pelagianos hoc est de Fide, ut dictum est suprà. Fides est donum Dei.

Nota 2. Quamvis sit sine charitate in peccatoribus, nihilominus esse do-

num Dei, & hoc contra Calvinum, & cæteros.

Motivum Fidei est sola Dei revelantis authoritas. Dicitur 2. *qua propter authoritatem Dei revelantis*. En objectum formale seu motivum fidei, nempe authoritas Dei revelantis, qui nec falli potest, nec fallere: & ideo nec ratio, nec experientia, nec authoritas humana sunt motiva Fidei supernaturalis.

Fides debet esse firma, & certa. Dicitur 3. *firmiter*, ut intelligatur Fidem debere excludere omnem hæsitationem & dubitationem, saltem voluntariam & positivam: & ideo *dubius in Fide infidelis est*, cùm nempe positivè judicat aliquam veritatem Fidei esse dubiam.

An fides sit in intellectu, vel in voluntate. Dicitur 4. *assentitur intellectus*. Fides enim est in intellectu, sicut & ejus actus, licèt tamen requiratur ad ipsum eliciendum pius affectus credendi in voluntate, quo intellectus captivetur in obsequium Fidei; Fides enim est essentialiter obscura.

Nota, hoc debere intelligi de actu interno Fidei; nam externus, qui est Fidei professio exterior, ore exprimitur. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Roman.* 10.

Quænam sint credenda. Dicitur 5. *iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt*, ut intelligatur Fidem esse indivisibilem, id est, non posse credi quasdam veritates revelatas, Fide divina, quin & cæteræ credantur, saltem implicitè: unde fides Hæreticorum, qui respuunt quasdam

veri-

veritates revelatas, non est fides divina, sed purè humana. Nota his verbis exprimi objectum materiale fidei.

Dicitur 6. *& per Ecclesiam nobis credenda proponuntur*, ut intelligatur pertinere ad Ecclesiam solam, cui Deus commisit depositum Fidei, & quæ ex promissione Dei, & continua Spiritus sancti assistentia infallibilis est, discernere verum Scripturæ sacræ sensum, & veras divinasque Traditiones: & hoc est contra Calvinum, & alios dicentes, Ecclesiam errare posse, & de facto erraſſe: & astruentes privatim spiritum, & sensum in dignoscendis Scripturis sacris.

Ecclesia est regula Fidei, seu est judex controversiarum Fidei.

Dicitur 7. *sive scripta illa sint, sive non sint*, ut intelligatur, duas esse regulas Fidei, scilicet Scripturam sacram, & Traditionem: idque contra Hæreticos rejicientes Traditionem; & admittentes solam Scripturam. Hocque statutum est in Concilio Tridentino, *seſſ.* 4.

Duæ aliæ regulæ Fidei, Scriptura & Traditio.

Quid est Scriptura Sacra?

EST *verbum Dei scriptum, quod continetur in Libris Canonicis, tum veteris, tum novi Testamenti.*

Nota, quod Libri sacri & divini dicuntur *Canonici*, quia in Ecclesiæ Canone, seu Catalogo recensentur, & in authoritatem ab Ecclesia recepti

Cur Libri *Canonici*, sic dicantur,

pti ſunt, tanquam inſpirante Spiritu ſancto, ab hominibus Dei conſcripti.

Quomodo dividatur Scriptura Sacra.

Nota 2. Quod Scriptura ſacra dividatur primò in vetus, & novum Teſtamentum; Teſtamentum autem eſt fœdus Dei cum hominibus, & duplex eſt, antiquum & novum, antiquum quod ſub veteri, & novum quod ſub nova Lege ſancitum eſt.

Quinam ſint Libri Canonici.

Nota 3. Quod ex Concilio Tridentino contra Hæreticos definiente, hi ſequentes Libri Canonici ſunt cum omnibus ſuis partibus, prout in vulgata editione, quæ Authentica declarata eſt, habentur, *ſeſſ.* 4.

Libri Canonici veteris Teſtamenti.

„ *Pentatteuchus*, ſeu quinque Libri
„ Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus,
„ Leviticus, Numeri, Deuterono-
„ mium; deinde Joſue, Judicum,
„ Ruth, quatuor Regum, duo Pa-
„ ralipomenon, Eſdræ primus & ſe-
„ cundus, qui dicitur Nehemias,
„ Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſal-
„ terium Davidicum, centum quin-
„ quaginta Pſalmorum, Parabolæ,
„ Eccleſiaſtes, Canticum Cantico-
„ rum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſa-
„ ias, Jeremias cum Baruch, Eze-
„ chiel, Daniel, duodecim Prophe-
„ tæ Minores, id eſt, Oſee, Joel.
„ Amos, Abdias, Jonas, Michæas,

„ Na-

„ Nahum, Habacuc, Sophonias,
„ Aggæus, Zacharias, Malachias,
„ duo Machabæorum, primus & se-
„ cundus.

Sunt igitur veteris Testamenti 45. Libri, & 27. novi, ut patebit numeranti. Quot sint Libri veteris, & novi Testamenti.

Libri novi Testamenti.

„ Quatuor Evangelia secundùm
„ Matthæum, Marcum, Lucam,
„ & Joannem, Actus Apostolorum
„ a Luca Evangelista conscripti: qua-
„ tuordecim Epistolæ Pauli Apostoli
„ ad Romanos, duæ ad Corinthios,
„ ad Galatas, ad Ephesеos, ad Phi-
„ lippenses, ad Colossenses, duæ ad
„ Thessalonicenses, duæ ad Timo-
„ theum, ad Titum, ad Philemo-
„ nem, ad Hebræos, Petri Aposto-
„ li duæ, Joannis Apostoli tres, Jaco-
„ bi Apostoli una, Judæ Apostoli una,
„ & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Hi Libri versibus Mnemonicis comprehenduntur.

Quinque libros Moses, Josue conscripsit & unum.
Judicibus, Ruth, junge quaterna volumina Regum.
Deinde duo Paralipomenon, totidemque dat Esdras.
Tum Tobias bonus, & fortis Judith, optimaque Esther.
Job, Davidque, & quinque decens Sapientia Libris.

 Isaias,

Isaias , Jeremias , Ezechiel , Danielque .
Osee , Joel , Amos , post venit Abdia , Jonas ,
Michaam sequitur Nahum , Habacuc , Sophonias .
Aggaus cum Zacharia , claudit Malachias .
Dein Machabaorum duplex dat gesta volumen .
Matthaus , Marcus , Lucas , quibus adde Joannem .
Dantur Apostolici Actus , post deciesque quaterque
Conscripsit Paulus , bis Petrus , terque Joannes ,
Deinde Jacobo & Thadao , adde retacta Joanni .

Nota 1. Quinque Libros Moysi exprimi litteris majusculis hujusce vocis barbaræ GELNUD. Quinque verò Libros Sapientiæ litteris istius, PECSE.

Nota 2. Quatuor esse Prophetas majores, & duodecim minores; Baruch verò, qui fuit scriba Jeremiæ, ipsi addi.

Nota 3. Libros tertium & quartum Esdræ non esse Canonicos, sed Apocryphos.

Nota 4. Quatuor Evangelia continere Historiam Christi, ejusque tum acta, tum dicta referre; Actus Apostolorum, esse Historiam gestorum ab Apostolis in prima ætate Ecclesiæ; epistolas D. Pauli, esse partim dogmaticas, partim morales, seu esse

tum

tum de fide contra Infideles & Hæreticos, tum de moribus Christianorum instituendis; Apocalypsim, esse revelationem factam Joanni, seu Prophetiam de rebus in Ecclesiis futuris, maximè sub finem mundi, & tempore Antichristi.

Quid est Traditio?

Traditio divina, quæ est altera regula fidei, est *verbum Dei, ipsius Christi ore, vel Spiritu sancto interius dictante, Apostolis revelatum, & ab ipsis viva voce sine scripto quasi per manus traditum, & usque ad nos transmissum.*

Præcipuæ Traditiones divinæ, & quæ ad fidem pertinent sunt, 1. Quod Libri contenti in Canone Ecclesiæ sint divini, & quod totum quod in illis continetur, sit verbum Dei; deinde quod Scriptura sacra in iis, quæ ad Fidem & salutem necessaria sunt, nobis remaneat integra, & quod habeamus verum sensum illius. Præcipuæ Traditiones divinæ.

2. Quod Symbolum Apostolorum sit verum & Canonicum.

3. Quod sint septem Sacramenta, deinde quod multa sint, quæ pertinent ad materiam & formam, & Ministros quorumdam Sacramentorum, v. gr. quod infantes baptizandi sint, quod Hæretici non sint rebaptizandi, si adhibita fuit legitima

CATECHISMI AD ORDINANDOS PARS TERTIA.

SECTIO PRIMA
De Virtutibus.

Quid est Virtus?

Quid sit virtus.

Virtus moralis, seu, quæ est in voluntate, de qua nobis agendum, est *habitus voluntatem semper inclinans ad bonum*; seu est *habitus animæ rationalis, bonus, operativus, reddensque subjectum suum bonum, & bonum illius actum.*

Virtus quotuplex.

Virtus ratione principii dividitur in naturalem seu acquisitam, & supernaturalem seu per se infusam; ratione verò objecti in Theologicam, & Moralem.

Quid virtus naturalis, & quotuplex.

Virtus naturalis, seu acquisita est *virtus actuum frequentatione parta, inclinans, & facilitans potentiam ad similes actus rectæ rationi conformes eliciendos.*

Dividitur in Cardinales, quæ sunt principes, & veluti cardines aliarum, & in subordinatas ipsis Cardinalibus.

Quatuor autem sunt Cardinales, nem-

nempe Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia.

Prudentia est *virtus cardinalis, qua scitur quid bonum est, & quid malum; quid prosequendum, & quid fugiendum.* Quid Prudentia.

Justitia est *virtus cardinalis, qua firmatur voluntas ad reddendum unicuique quod suum est.* Quid Justitia.

Fortitudo est *virtus cardinalis, qua moderatur timorem & audaciam, maximè in periculis mortis.* Quid Fortitudo.

Temperantia est *virtus cardinalis, qua moderatur voluptates gustus & tactus.* Quid Temperantia.

Virtus supernaturalis & infusa, est *virtus a Deo solo, in nobis producta, inclinans ad actus supernaturales.* Et duplex est, Moralis quæ retinet nomen generis, & Theologica. Quid virtus supernaturalis, & quotuplex.

Virtus moralis supernaturalis, est *virtus a Deo infusa, qua habet objectum supernaturaliter cognitum, non tamen habet Deum pro immediato objecto.*

Dividitur etiam in Cardinales & in subordinatas ipsis.

Nota igitur ex his, virtutes morales acquisitas & infusas esse easdem, nempe virtutes cardinales cum suis subordinatis & annexis, attamen differre maximè in multis. Primò, quod acquisitæ, acquiri possint viribus naturalibus, actuum repetitione; infusa verò sint dona Dei, a quo solo producuntur in nobis. Secundò, quod acquisitæ dent tantùm potentię, quę Quomodo inter se differant virtutes naturales, & supernaturales.

ex se agere potest, majorem facilitatem ad agendum, infusæ verò dent facultatem agendi sine qua actus supernaturales elicere capax non est potentia. Tertiò, quod actus virtutum acquisitarum sint purè naturales, id est, a facultate naturali eliciti, ex motivo humano, seu lumine rationis cognito; actus verò virtutum infusarum sint supernaturales, id est, eliciti ex motivo supernaturali, seu lumine Fidei cognito, & producti cum gratia actuali voluntatem excitante, & adjuvante.

Quid sit virtus Theologica.

Virtus Theologica est *virtus supernaturalis seu infusa per se, quæ habet Deum pro objecto immediato.*

Dicitur 1. *virtus supernaturalis, & infusa*, & in hoc convenit cum moralibus infusis.

Dicitur 2. *quæ habet Deum pro objecto immediato*, & in hoc differt ab ipsis.

Quodnam objectum materiale, & formale Fidei.

Nota, quod virtutes Theologicæ habent Deum pro objecto tàm materiali, ut vocant, quàm formali seu motivo; Fidei enim objectum materiale præcipuum est Deus: nam inter veritates, quas ex fide credere debemus, primas tenet Deus; formale verò est Deus, ut prima veritas revelans, seu authoritas Dei revelantis; nam ratio propter quam illæ veritates revelatæ creduntur, est authoritas Dei revelantis.

Spei

Spei objectum materiale est Deus; nam Deum, ut possidendum, præcipuè speramus.

For-

Formale verò est Deus, quatenùs fidelis in suis promissis.

Charitatis objectum materiale præcipuum est ipse Deus, qui amatur; Formale verò, est ipse Deus, qui propter seipsum amatur. Charitatis.

Quot sunt Virtutes Theologicæ?

Sunt tres, Apostolo docente, Fides, Spes, & Charitas.

PARAGRAPHUS I.

De Fide.

Quid est Fides?

EST *Virtus Theologica, qua propter authoritatem Dei revelantis, firmiter assentitur intellectus iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt, & per Ecclesiam nobis credenda proponuntur, sive scripta illa sint, sive non sint.*

Dicitur 1. *Virtus Theologica*; & in hoc convenit, cum Spe, & Charitate.

Nota 1. Quod Fides, utpote virtus infusa, sit donum Dei; contra Pelagianos & Semi-Pelagianos hoc est de Fide, ut dictum est suprà. Fides est donum Dei.

Nota 2. Quamvis sit sine charitate in peccatoribus, nihilominus esse do-

num Dei, & hoc contra Calvinum, & cæteros.

Motivum Fidei est sola Dei revelantis authoritas.

Dicitur 2. *qua propter authoritatem Dei revelantis*. En objectum formale seu motivum fidei, nempe authoritas Dei revelantis, qui nec falli potest, nec fallere: & ideo nec ratio, nec experientia, nec authoritas humana sunt motiva Fidei supernaturalis.

Fides debet esse firma, & certa.

Dicitur 3. *firmiter*, ut intelligatur Fidem debere excludere omnem hæsitationem & dubitationem, saltem voluntariam & positivam: & ideo *dubius in Fide infidelis est*, cùm nempe positivè judicat aliquam veritatem Fidei esse dubiam.

An fides sit in intellectu, vel in voluntate.

Dicitur 4. *assentitur intellectus*. Fides enim est in intellectu, sicut & ejus actus, licèt tamen requiratur ad ipsum eliciendum pius affectus credendi in voluntate, quo intellectus captivetur in obsequium Fidei: Fides enim est essentialiter obscura.

Nota, hoc debere intelligi de actu interno Fidei; nam externus, qui est Fidei professio exterior, ore exprimitur. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Roman.* 10.

Quænam sint credenda.

Dicitur 5. *iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt*, ut intelligatur Fidem esse indivisibilem, id est, non posse credi quasdam veritates revelatas, Fide divina, quin & cæteræ credantur, saltem implicitè: undes fides Hæreticorum, qui respuunt quasdam

veri.

veritates revelatas, non est fides divina, sed purè humana. Nota his verbis exprimi objectum materiale fidei.

Dicitur 6. *& per Ecclesiam nobis credenda proponuntur*, ut intelligatur pertinere ad Ecclesiam solam, cui Deus commisit depositum Fidei, & quæ ex promissione Dei, & continua Spiritus sancti assistentia infallibilis est, discernere verum Scripturæ sacræ sensum, & veras divinasque Traditiones: & hoc est contra Calvinum, & alios dicentes, Ecclesiam errare posse, & de facto errasse: & astruentes privatim spiritum, & sensum in dignoscendis Scripturis sacris.

Ecclesia est regula Fidei, seu est judex controversiarum Fidei.

Dicitur 7. *sive scripta illa sint, sive non sint*, ut intelligatur, duas esse regulas Fidei, scilicet Scripturam sacram, & Traditionem: idque contra Hæreticos rejicientes Traditionem; & admittentes solam Scripturam. Hocque statutum est in Concilio Tridentino, *sess.* 4.

Duæ aliæ regulæ Fidei, Scriptura & Traditio.

Quid est Scriptura Sacra?

EST *verbum Dei scriptum, quod continetur in Libris Canonicis, tum veteris, tum novi Testamenti.*

Nota, quod Libri sacri & divini dicuntur *Canonici*, quia in Ecclesiæ Canone, seu Catalogo recensentur, & in authoritatem ab Ecclesia rece-

Cur Libri *Canonici*, sic dicantur.

pti ſunt, tanquam inſpirante Spiritu ſancto, ab hominibus Dei conſcripti.

Quomodo dividatur Scriptura Sacra. Nota 2. Quod Scriptura ſacra dividatur primò in vetus, & novum Teſtamentum; Teſtamentum autem eſt fœdus Dei cum hominibus, & duplex eſt, antiquum & novum, antiquum quod ſub veteri, & novum quod ſub nova Lege ſancitum eſt.

Quinam ſint Libri Canonici. Nota 3. Quod ex Concilio Tridentino contra Hæreticos definiente, hi ſequentes Libri Canonici ſunt cum omnibus ſuis partibus, prout in vulgata editione, quæ Authentica declarata eſt, habentur, *ſeſſ.* 4.

Libri Canonici veteris Teſtamenti.

„ *Pentateuchus*, ſeu quinque Libri
„ Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus,
„ Leviticus, Numeri, Deuterono-
„ mium; deinde Joſue, Judicum,
„ Ruth, quatuor Regum, duo Pa-
„ ralipomenon, Eſdræ primus & ſe-
„ cundus, qui dicitur Nehemias,
„ Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſal-
„ terium Davidicum, centum quin-
„ quaginta Pſalmorum, Parabolæ,
„ Eccleſiaſtes, Canticum Cantico-
„ rum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſa-
„ ias, Jeremias cum Baruch, Eze-
„ chiel, Daniel, duodecim Prophe-
„ tæ Minores, id eſt, Oſee, Joel.
„ Amos, Abdias, Jonas, Michæas,
„ Na-

„ Nahum , Habacuc , Sophonias ,
„ Aggæus , Zacharias , Malachias ,
„ duo Machabæorum , primus & secundus .

Sunt igitur veteris Testamenti 45. Libri , & 27. novi , ut patebit numeranti .

Quot sint Libri veteris , & novi . Testamenti .

Libri novi Testamenti.

„ Quatuor Evangelia secundùm Matthæum , Marcum , Lucam , & Joannem , Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti : quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos , duæ ad Corinthios , ad Galatas , ad Epheseos , ad Philippenses , ad Colossenses , duæ ad Thessalonicenses , duæ ad Timotheum , ad Titum , ad Philemonem , ad Hebræos , Petri Apostoli duæ , Joannis Apostoli tres , Jacobi Apostoli una , Judæ Apostoli una , & Apocalypsis Joannis Apostoli .

Hi Libri versibus Mnemonicis comprehenduntur .

Quinque libros Moses , Josue conscripsit & unum ,
Judicibus , Ruth , junge quaterna volumina Regum .
Deinde duo Paralipomenon , totidemque dat Esdras .
Tum Tobias bonus , & fortis Judith , optimaque Esther .
Job , Davidque , & quinque decens Sapientia Libris .

N 5 *Isaias ,*

Isaias, Jeremias, Ezechiel, Danielque,
Osee, Joel, Amos, post venit Abdia, Jonas,
Michæam sequitur Nahum, Habacuc, Sophonias.
Aggæus cum Zacharia, claudit Malachias.
Dein Machabæorum duplex dat gesta volumen.
Matthæus, Marcus, Lucas, quibus adde Joannem.
Dantur Apostolici Actus, post deciesque quaterque
Conscripsit Paulus, bis Petrus, terque Joannes,
Deinde Jacobo & Thadæo, adde retecta Joanni.

Nota 1. Quinque Libros Moysi exprimi litteris majusculis hujusce vocis barbaræ GELNUD. Quinque verò Libros Sapientiæ litteris istius, PECSE.

Nota 2. Quatuor esse Prophetas majores, & duodecim minores; Baruch verò, qui fuit scriba Jeremiæ, ipsi addi.

Nota 3. Libros tertium & quartum Esdræ non esse Canonicos, sed Apocryphos.

Nota 4. Quatuor Evangelia continere Historiam Christi, ejusque tum acta, tum dicta referre; Actus Apostolorum, esse Historiam gestorum ab Apostolis in prima ætate Ecclesiæ; epistolas D. Pauli, esse partim dogmaticas, partim morales, seu esse

tum

tum de fide contra Infideles & Hæreticos, tum de moribus Christianorum instituendis; Apocalypsim, esse revelationem factam Joanni, seu Prophetiam de rebus in Ecclesiis futuris, maximè sub finem mundi, & tempore Antichristi.

Quid est Traditio?

Traditio divina, quæ est altera regula fidei, est *verbum Dei, ipsius Christi ore, vel Spiritu sancto interius dictante, Apostolis revelatum, & ab ipsis viva voce sine scripto quasi per manus traditum, & usque ad nos transmissum.*

Præcipuæ Traditiones divinæ, & quæ ad fidem pertinent sunt, 1. Quod Libri contenti in Canone Ecclesiæ sint divini, & quod totum quod in illis continetur, sit verbum Dei; deinde quod Scriptura sacra in iis, quæ ad Fidem & salutem necessaria sunt, nobis remaneat integra, & quod habeamus verum sensum illius. Præcipuæ Traditiones divinæ.

2. Quod Symbolum Apostolorum sit verum & Canonicum.

3. Quod sint septem Sacramenta, deinde quod multa sint, quæ pertinent ad materiam & formam, & Ministros quorumdam Sacramentorum, v. gr. quod infantes baptizandi sint, quod Hæretici non sint rebaptizandi, si adhibita fuit legitima

materia forma legitima, quod in forma Baptismi, ore pronuntianda sint illa verba, *Ego te baptizo, &c.*

4. Doctrina Fidei de invocatione Sanctorum, de cultu Reliquiarum sacrarum, & Imaginum, de perpetua Mariæ virginitate, & de Indulgentiis, &c.

5. Tres Personas esse in Trinitate, Filium esse consubstantialem Patri; voces enim istæ, *Persona & Consubstantialis*, non reperiuntur in Scripturis, sicut nec vox ista, *Transubstantiatio* ad Sacramentum Eucharistiæ pertinens, quæ etiam per Traditionem habetur.

An in veteri Testamento fuerint Traditiones.

Nota, quod in veteri Testamento erant etiam Traditiones divinæ, v. gr. de Libris Canonicis illius temporis, de remedio contra peccatum originale &c.

Unde innotescit Traditio?

Innotescit 1. Ex unanimi Patrum consensu. 2. Ex definitionibus Ecclesiæ; quarum aliæ editæ sunt a Romanis Pontificibus, controversias Fidei finientibus, ex sensu Romanæ Ecclesiæ omnium maximæ & antiquissimæ; aliæ verò a Conciliis Generalibus in Spiritu sancto legitimè congregatis, quæ ut Evangelia suscipi debent ab omnibus Fidelibus: horum ultimum & quidem percelebre est Concilium Tridentinum.

No-

Nota, quod præter Traditiones divinas, quæ etiam Apostolicæ dicuntur, eo quod per Apostolos ad nos usque transmissæ sunt, esse alias Traditiones, quæ propriæ sunt Apostolicæ, eo quod Apostoli illarum sint authores. Istæ Traditiones sunt *Observantiæ sacræ, aut salutares ab Apostolis viva voce transmissæ Fidelibus, ad ritus religiosos, moresque Fidelium formandos.* Traditiones Apostolicæ quorumplicis generis. Quid sint.

Præcipuæ ex his Traditionibus sunt. 1. Cœremoniæ Missæ, & Sacramentorum, v. gr. Exorcismus, trina mersio in Baptismo, unctio & renovatio Chrismatis facienda singulis annis, aquæ mixtio in calice Eucharistico, Eucharistiæ sumptio ante quemcumque cibum, commemoratio defunctorum in Sacrificio Missæ, signum Crucis formatum in fronte, aquæ benedictio, &c. 2. Observatio diei Dominici loco Sabbathi, observatio jejunii Quadragesimalis &c. Quænam sint.

Nota 2. Præter illas Traditiones dari etiam alias, quæ purè Ecclesiasticæ sunt, & sunt *Observantiæ salutares ab antiquis Ecclesiæ Prælatis vel authoritate & probatione tacita aut expressa introductæ, quæ sensim obtinuerunt vim legis, vel laudabilis, & spontaneæ consuetudinis.* Quid sint Traditiones Ecclesiasticæ.

Præcipuæ ex illis sunt, jejunium quatuor Temporum, abstinentia a carnibus certis diebus, observatio quorumdam Festorum, præcipuè ve- Et quænam.

rò

rò anniversaria solemnitas Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri; deinde sacramentalia, ut benedictiones Cinerum, &c.

Quotuplex Fides?

1. Duplex; Fides habitualis & actualis.

Quid Fides habitualis. Fides habitualis, est ipse *habitus Fidei in nobis a Deo infusus & productus*.

Quid actualis. Actualis, est *actus Fidei, seu assensus iis omnibus quæ Deus revelavit propter ipsius revelantis authoritatem*.

2. Duplex, interna, & externa.

Quid Fides interna. Quid externa. Interna est assensus Fidei in mente conceptus; externa est manifestatio externa assensus interni sive per verba, sive per alia signa.

3. Duplex, Fides formata sive viva, & informis sive mortua, fides formata sive viva est, *ea quæ conjuncta est cum gratia & charitate*, qualis est in justis. Fides informis sive mortua est *ea, quæ sejuncta est a gratia & charitate*, qualis est in peccatoribus; dicitur verò mortua, quia sejuncta est a gratia & charitate, quæ est vita animæ, & principium operationum vitalium, seu vitæ æternæ meritoriarum.

QuidFides viva. Quid mortua.

Nota 1. Quod dogma Fidei est definitum in Concilio Tridentino, Fidem licèt non vivam, esse veram Fidem; nec ipsam Fidem amitti

sem.

ſemper amiſſa per peccatum gratia, ſicut jam ſupra dictum eſt.

Nota 2. Fidem amitti per ſolum peccatum ſibi oppoſitum, nempè per infidelitatem.

4. Adhuc duplex Fides: explicita, & implicita.

Fides explicita eſt *ea qua quis diſtinctè & in particulari aſſentitur alicui veritati revelatæ*, v. gr. Trinitati, divinitati Chriſti, &c. Quid fides explicita.

Fides implicita eſt ea, *qua quis in genere tantùm aſſentitur omnibus veritatibus revelatis*. Vel *qua aſſentitur alicui veritati non in ſe & diſtinctè, ſed in alia veritate, in qua iſta velut in principio continetur*; ſic qui credit Eccleſiam, credit omnes veritates revelatas, quas proponit credendas. Quid implicita.

Quænam credenda ſunt neceſſario ad ſalutem?

1. Neceſſitate medii omnes adulti tenentur credere explicitè unum eſſe Deum, illumque eſſe juſtum & remuneratorem, id eſt, ipſum decernere præmia juſtis, & ſupplicia improbis, non tantùm in hac vita, ſed potiſſimùm in futura; præterea tenentur eodem modo, eademque neceſſitate credere Myſterium Trinitatis, & Myſterium Incarnationis, ac Redemptionis noſtræ. Quid credendum neceſſitate medii.

Nota 1. Hoc de adultis intelligi; in aliis enim qui uſum rationis non ha- Infantes actualis Fidei sunt incapaces.

habent. Fides habitualis, quæ infunditur in Baptiſmo cum gratia ſufficit.

Quid ſit neceſsitas medii.

Nota 2. Hoc intelligi de neceſſitate medii; illud autem eſt neceſſarium neceſſitate medii, *quod ſecundùm legem ordinariam ita neceſſarium eſt, ut ſine illo ſalus obtineri non poſſit.*

Quænam Fides explicita ſit neceſſaria.

Nota 3. Fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, ſeu divinitatis Chriſti & ipſius mortis, non fuiſſe neceſſariam in veteri Lege, ſed tantùm in nova: attamen Fides implicita Mediatoris erat neceſſaria etiam in veteri Lege.

Nota 4. Omnes Chriſtianos non teneri ad Fidem explicitam omnium Myſteriorum, & Fidei dogmatum, ſed ad implicitam, id eſt, teneri omnes ad univerſim credendum quidquid credit Eccleſia; non verò ad omnia dogmata Fidei in particulari credenda.

Quid neceſsitate præcepti ſit credendum.

2. Neceſſitate præcepti omnes adulti tenentur credere explicitè, quidquid in Symbolo Apoſtolorum, in Oratione Dominica, & in Decalogo continetur; deinde illa, quæ ad eorum Sacramentorum rationem pertinent, quorum ſuſceptio illis ad ſalutem neceſſaria, vel etiam utilis eſt; denique illa, quæ ſecundùm exigentiam peculiarem cujuſque ſtatus, & conditionis, ad ſalutem conſequendam, juxta divinæ Legis præſcriptum neceſſaria ſunt.

Nota 1. Illud eſſe neceſſarium, ne-

necessitate præcepti, *quod ita necessarium est, ut cessante obligatione præcepti propter causam legitimam, non sit necessarium ad salutem.* Quid sit necessitas præcepti.

Nota 2. Fidem explicitam dogmatum, majorem & perfectiorem requiri in Sacerdotibus, quàm in laicis, majorem in Pastoribus, quàm in aliis quibus animarum cura non est commissa.

3. Ad Confessionem externam Fidei teneri omnes, quando illa Confessio necessaria est ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi; & hoc est de Fide contra Elcesaitas dicentes, negari posse Fidem exterius, etiam addito juramento, instante persecutione. An professio fidei sit de præcepto.

4. Ad assensum internum Fidei tenentur adulti: 1. Quando prima vice Fides eis proponitur: 2. In susceptione Baptismi: 3. Quando facienda est externa professio Fidei: 4. Sæpiùs per vitam: 5. Quando urget tentatio contra Fidem: 6. Etiam quando suscipienda sunt Sacramenta, vel exercendæ virtutes requiritur actus Fidei saltem virtualis. An fides interna sit de præcepto, & quando.

In quibus est Fides divina?

EST in omnibus Catholicis, etiam peccatoribus, ut dictum est supra ex Conc. Trid.

Non est 1. In Infidelibus, Apostatis, Hæreticis. 2. Non est in dæmoni-

monibus, nec in damnatis. 3. Non eſt etiam in Beatis; quia Fides eſt obſcura: illi autem clarè & intuitivè vident Deum, ac propter hanc rationem remanet in animabus exiſtentibus in Purgatorio; nondum enim vident Deum.

Quænam ſunt Peccata Fidei oppoſita?

Tria, Infidelitas poſitiva, apoſtaſia, hereſis.

Quid ſit infidelitas poſitiva. Infidelitas poſitiva eſt peccatum, *quo quis renuit ſuſcipere fidem.*

Quid negativa, & an ſit peccatum. Nota, quod infidelitas negativa eſt *carentia Fidei in eo, cui nullo modo, vel non ſufficienter propoſita eſt fides*; illa infidelitas non eſt peccatum.

Quid ſit Apoſtaſia. Apoſtaſia eſt peccatum, *quo quis totaliter recedit a Fide, & a Chriſto, ut deflectat ad Judaiſmum, Turciſmum, Atheiſmum, &c.*

Quid ſit Hæreſis. Hereſis eſt peccatum, *quo quis Chriſtianiſmum profitens, & poſtquam Baptiſmum ſuſcepit, pertinaciter alicui Fidei dogmati reſiſtit.* Vel *eſt baptizati hominis error pertinax in fide.*

Quid Schiſma, & an ex ſe contra fidem. An blaſphemia opponatur Fidei. Nota 1. Quod Schiſma ex ſe non opponitur Fidei; eſt enim *peccatum, quo quis renuit ſubeſſe Summo Pontifici, & Eccleſia*, ſed opponitur directè charitati, & obedientiæ.

Nota 2. Blaſphemiam opponi, vel Confeſſioni fidei, & illius actui exter-

no,

no, si sit externa; vel illius actui interno, si sit interna.

Blasphemia ergo est *injuriosa in Deum locutio, sive interna, sive externa, affirmando de Deo quod ei non competit, vel negando quod competit, aut etiam tribuendo creaturæ quod competit, soli Deo.*

Quid sit blasphemia.

Observa, quod injuriosa locutio in Sanctos, & in alias creaturas, in quibus relucet sanctitas, & majestas Dei, vocatur etiam blasphemia,

PARAGRAPHUS II.

De Spe.

Quid est Spes?

EST *virtus Theologica, qua homo fidelis, certa cum fiducia expectat a Deo, per merita Christi, vitam æternam in futuro sæculo, & in præsenti bona salutaria conducentia ad ipsam.*

Dicitur 1. *virtus Theologica*, quia immediatè respicit Deum ut possidendum visione beatifica, in qua consistit vita æterna.

An Spes Fidem necessariò supponat.

Dicitur 2. *qua homo fidelis*: nam Spes necessariò supponit Fidem, nec in iis potest esse, in quibus non est Fides.

Quænam sit certitudo Spei, & quotuplex.

Dicitur 3. *certa cum fiducia*: non quidem certa, certitudine Fidei & in-

infallibili excludente omnem timorem, ut volunt Calvinistæ, qui ideo condemnati sunt a Conc. Trid. sed certitudine morali excludente hæsitantiam & fluctuationem inordinatam.

An Spes debeat excludere omnem timorem.

Nota 1. Quod licèt fiducia Spei nostræ ex parte Dei certa sit, utpote quæ innitatur omnipotentia, bonitate infinita, & fidelitate Dei promittentis; attamen ex parte nostræ cooperationis, cùm multi defectus accidere possint propter infirmitatem nostram, quibus Dei promissionum effectus impediri possunt, spem nostram timor semper comitetur oportet; & cum illo timore salutem nostram operari debemus.

Quotuplex sit timor.

Timor ergo ad virtutem Spei pertinet; nam est fuga mali oppositi bono, quod speratur.

Quid sit timor mundanus.

Porrò timor alius est mundanus, alius servilis, alius initialis, alius filialis, & castus.

Timor mundanus est *actus voluntatis fugientis malum temporale, & ad hunc finem eligentis offensam Dei*, iste timor peccatum est.

Quid servilis.

Timor servilis est *actus voluntatis fugientis peccatum propter pœnam*; si timor ille excludat affectum peccandi, dicitur timor servilis simpliciter, estque bonus & pertinet ad virtutem Spei; si verò non excludat, dicitur timor servilis serviliter, & peccatum est.

Quid initialis.

Timor initialis est *fuga peccati, primariò*

mariò propter culpam & offensam Dei, secundariò propter pœnam; hicque timor est initium & inchoatio Charitatis.

Timor filialis & castus est *fuga peccati ob solam culpam & offensam Dei*; estque actus perfectæ Charitatis. Quid filialis, & castus.

Nota 2. Objectum formale Spei, seu rationem formalem propter quam sperare debemus, esse omnipotentiam, bonitatem, & fidelitatem Dei promittentis. Quodnam Spei motivum.

Dicitur 4. *expectat a Deo*, utpote fonte omnis gratię & supernorum bonorum largitore.

Dicitur 5. *per merita Christi*; nam licèt ex parte nostra merita requirantur ad assequendam beatitudinem nobis promissam, ipsam tamen mereri non possumus per proprias vires, sed tantùm per merita Christi, ipsiusque gratiam. Merita nostra innituntur meritis Christi.

Dicitur 6. *vitam æternam in futuro sæculo*; vitam enim æterna, seu beatitudo quæ in visione intuitiva Dei, ipsamque consequente amore Dei, fruitivo consistit, est primarium & præcipuum Spei objectum. Quodnam objectum primariū Spei.

Dicitur 7. *& in præsenti bona salutaria conducentia ad ipsam*, id est, media ordinata ad ipsam, sive spiritalia sint illa, ut sunt pœnitentia, gratia, perseverantia, &c. sive etiam temporalia, ut sanitas, divitiæ, &c. & illa omnia bona sunt objectum secundarium Spei. Quodnam secundarium.

Qua-

Quænam ſint Peccata oppoſita Spei?

Opponitur ei per defectum deſperatio, per exceſſum verò præſumptio.

Quid ſit deſperatio. Deſperatio eſt *diffidentia de miſericordia Divina, qua quis beatitudinem æternam, mediaque ad illam conducentia non amplius expectat a Deo, ideoque omnem conatum ex parte ſua requiſitum intermittit.*

An deſperatio aliquando hæreſi con juncta. Nota, quod deſperatio aliquando conjuncta eſt hæreſi, ac proinde Fidem etiam deſtruit; nempe quando quis pertinaciter ſibi perſuadet Deum aut nolle, aut non poſſe peccata a ſe commiſſa condonare.

Quid ſit præſūptio. Præſumptio eſt *temeraria expectatio beatitudinis aut mediorum ad illam obtinendam*, cùm quis exiſtimat ſe vel divinam gratiam & gloriam ex ſeipſo naturæ viribus adipiſci poſſe, vel ex ſola miſericordia Dei ſine ullis operibus meritoriis beatitudinem, aut remiſſionem peccatorum ſine Pœnitentia conſecuturum.

Nota, quod deſperatione & præſumptione non quidem phyſicè, ſed demeritoriè deſtruatur Spes, & aliquando Fides, ſi pertinacia adſit, ut dictum eſt.

Quotuplex Spes. Obſerva, quod ſicut Fides, ita & Spes duplex eſt; viva quæ Charitate formata eſt, & mortua ſeu infor-

formis, quæ Charitate destituta est, & quæ nihilominus est vera virtus, licèt non perfecta.

PARAGRAPHUS III.

De Charitate.

Quid est Charitas?

EST *virtus Theologica, qua Deus propter se diligitur, & proximus propter Deum.*

Dicitur 1. *virtus Theologica*, eaque omnium omnino virtutum excellentissima, ipsarumque forma, in quantùm illis ultimam & completam perfectionem tribuit, earumque actus ad ultimum finem, nempe Deum, perfectè ordinat, reditque meritorios vitæ æternæ. An Charitas sit forma omniũ virtutum, & quare.

Dicitur 2. *qua Deus diligitur*; Deus enim est præcipuum objectum materiale Charitatis; diligitur verò Deus. 1. Cùm volumus ipsi omnia, quæ ei velle possumus, sive intrinseca ipsi, per complacentiam in iis omnibus bonis, quæ in eo sunt, & de illis gaudendo; sive extrinseca, nempe gloriam, honorem, amorem, aliaque omnium virtutum officia ipsi tàm a nobis, quàm ab aliis exhibenda, ipsa nempe desiderando ei, & quibuscumque modis efficiendo, Quid sit Deum diligere.

ut

ut exhibeantur. 2. Diligitur Deus, cùm ipsi unicè placere volumus, ipsiusque præcepta, & consilia, & alia quæcumque ei placent exequimur, non alia ratione, nisi ut nostram voluntatem illius voluntati uniamus, & conformemus ad illam.

Qualis debeat esse dilectio,

Nota 1. Quod dilectio Dei debet esse ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, id est, debet esse maxima, adeoque ipsi nullus modus definitus est, nec minima esse potest.

An intentio Charitatis sit de præcepto.

Nota 2. Quod juxta communem Theologorum sententiam, intensio Charitatis non cadit sub obligationem præcepti, cùm, quolibet actu Charitatis, licèt minus intenso, possimus satisfacere præcepto Dei de ipso diligendo.

Quo sensu dilectio Dei debeat esse maxima. An intensivè, an æstimativè, & appretiativè.

Nota 3. Quod licèt ex præcepto non teneamur Deum diligere super omnia, & etiam plusquam nosmetipsos intensivè, id est, majori, & ferventiori affectu; attamen tenemur ipsum diligere magis quàm alia omnia, & etiam nosmetipsos æstimativè & appretiativè, majus scilicet ipsi bonum volendo, & in majori pretio illum habendo; & isto sensu dilectio Dei debet esse summa & maxima.

Propter quam bonitatem Deus sit diligendus.

Dicitur 3. *propter se*; en motivum formale Charitatis; Deus autem propter se diligitur, id est, propter bonitatem suam, non qua nobis bonus

mus est, & beneficus (hæc enim dictio propria est Spei) sed qua in se bonus, & infinitè perfectus: Charitas enim est amor veræ & perfectæ amicitiæ, qui respicit bonum amati non amantis, non verò concupiscentiæ, qui bonum amantis respicit.

Quid amor amicitiæ. Quid amor concupiscentiæ.

Dicitur 4. *& proximus*; objectum enim materiale secundarium charitatis est proximus, quo nomine intelliguntur quicumque sunt capaces æternæ beatitudinis, etiam inimici.

Quinam nomine proximi sint intelligendi.

Diligimus autem proximum complacendo in bonis quæ habet, & desiderando ipsi bona quæ non habet, tum temporalia, tum æterna, & spiritualia eaque illi procurando quantum possumus.

Quid sit diligere proximũ.

Nota 1. Quod debemus diligere proximum *sicut* nosmetispos, itaut dilectio nostri sit regula dilectionis proximi; illud enim, *sicut*, non designat *æqualitatem*; nam nos, cæteris paribus, magis diligere debemus quàm proximum, sed designat tantùm *similitudinem*; id est, debemus diligere proximum adinstar nostrum.

An vox *sicut* denotet æqualitatem, vel similitudinẽ.

Nota 2. Ordinem esse servandum inter objecta Charitatis, itaut. 1. Diligatur Deus. 2. Anima nostra. 3. Anima proximi. 4. Vita nostra corpusque nostrum. 5. Vita corpusque proximi. 6. Fama, honor, bonaque temporalia propria, exinde proximi; inter proximos etiam ordinem hunc esse servandum, ut in

Quisnam ordo servandus inter objecta charitatis

Quisnam ordo servandus inter proximos.

O ne-

necessitate hi qui sunt nobis conjunctiores conjunctione carnali, spiritali, vel civili, præferantur aliis.

Quotuplex dilectio proximi.

Dicitur 5. *& proximus diligitur propter Deum*, ut innuatur, dilectionem proximi, quæ est ex Charitate valde discrepare a dilectione naturali, ac spiritualem & supernaturalem esse debere.

Quinam sunt actus Charitatis?

Actus Charitatis proprii, sunt interiores, & exteriores.

Interiores sunt. 1. *Dilectio*, qua per Charitatem volumus bonum objecti amati. 2. *Gaudium*, quo de illius bono gaudemus. 3. *Pax* qua cum ipso conspiramus in iis quę ad ipsius bonum conferunt. 4. *Misericordia* qua ipsius malo tanquam nostro commovemur.

Exteriores sunt *beneficentia*, qua bonum, quod volumus per Charitatem amato, quantum in nobis est procuramus, & *eleemosina* tum spiritalis, tum corporalis.

Quinam sint actus imperati charitatis.

Nota, quod actus aliarum omnium virtutum possunt imperari a Charitate propter motivum illius, nempè propter Deum, & sic dicuntur actus imperati Charitatis.

Quid sit eleemosyna.

Eleemosyna est *actus Charitatis*, seu potiùs, *est actus externus misericordia*,

cordia, quo alterius indigentiæ subvenimus ex compassione & propter Deum.

Duplex est, corporalis, & spiritalis; corporalis, *qua subvenimus indigentiæ corporali proximi*: spiritalis *verò, qua subvenimus ejus indigentiæ spiritali.* Quotuplex.

Opera eleemosynæ corporalis vulgo septem recensentur, quæ continentur hoc versu.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Quot, & quænam opera misericordiæ corporalis.

Id est 1. Visitare infirmos, detentos in carcere, cæterosque miseros. 2. Potum dare sitientibus. 3. Cibum dare esurientibus. 4. Redimere captivos. 5. Vestire nudos. 6. Recipere pauperes hospitio. 7. Sepelire mortuos.

Opera misericordiæ spiritalis, sunt etiam septem, istoque versu explicantur. Quot, & quænam sint eleemosynæ spiritales.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Id est, 1. Dare consilium dubitantibus. 1. Corripere delinquentes. 3. Docere ignorantes. 4. Consolari afflictos. 5. Remittere injurias. 6. Ferre patienter eos qui molesti sunt. 7. Orare pro salute proximi.

Quænam sunt peccata opposita Charitati?

Charitati generaliter opponitur quodcunque peccatum mortale; est enim gravis offensa Dei, sicque quocumque peccato mortali extinguitur omnino Charitas, idque definitum est a Concilio Tridentino: at per peccata venialia non amittitur; ut idem Concilium definivit; ex quibus colligas Charitatem nunquam secundùm se minui; si enim per peccata venialia minueretur, tandem per ipsa omnino amitteretur, quod erroneum est. Verum est tamen, fervorem ipsius, vel potiùs actum ejus, per peccata venialia minui; atque per ipsa ingenerari in anima habitus pravos, quibus ad majora & ad mortalia patranda sensim disponimur.

An per peccatum mortale Charitas amittatur.

An per venialia.

An minui possit Charitas.

Charitati erga Deum opponitur specialiter *odium* Dei & *acedia*, quæ est tristitia de bono illius.

Charitati erga proximum opponitur. 1. *Odium* proximi. 2. *Invidia*, quæ est tristitia de bono ipsius. 3. *Discordia*, sub qua *Schisma*, seu discessio ab unitate Ecclesiæ, *duellum & bellum* injustum comprehenduntur. 4. *Immisericordia*. 5. *Scandalum*, quod opponitur maximè correctioni fraternæ.

Quid

Quid est Scandalum?

EST *dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritalis.*

Dicitur 1. *dictum vel factum*, id est, actus quidam exterior, & notus aliis, vel commissionis, vel omissionis.

Dicitur 2. *minus rectum*, ut significetur posse aliquando oriri scandalum ex actu habente tantùm speciem mali, licèt in se non sit malus.

Dicitur 3. præbens proximo occasionem ruinæ spiritalis, vel ex intentione directa scandalizantis, tuncque est scandalum formale & directum; vel interpretativa tantùm, & tunc est scandalum indirectum, & interpretativum; talia sunt omnia mala exempla. Quid scandalum directum, & indirectū

Dicitur 4. *Præbens occasionem ruinæ spiritalis*, etiamsi illa ruina non sequatur.

Scandalum duplex; activum, quod modò definitum est, passivum quod est ipsamet ruina spiritalis proximi: & duplex est, scandalum datum simul & acceptum, & non datum; primum oritur ex dicto, vel facto minùs recto; secundum verò oritur non tàm ex dicto, vel facto alterius nullam habente speciem mali, quàm ex mera & propria malitia scanda- Quotuplex scandalū.

lum accipientis, & dicitur ſcandalum *Phariſaicum*, vel ex infirmitate, aut etiam ignorantia, & dicitur ſcandalum *Puſillorum*.

Quot ſint modi cooperandi peccatis aliorum.

Ad ſcandalum reducuntur omnes modi cooperandi peccatis aliorum, qui modi ſunt vel directi, vel indirecti; directi ſunt ſex; juſſio, conſilium, conſenſus, adulatio, receptio, & participatio: indirecti verò tres; reticentia, permiſſio, occultatio hiſque verſibus exprimuntur.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus;
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

PARAGRAPHUS IV.

De Religione.

Quid eſt Religio?

EST *virtus moralis exhibens Deo cultum debitum, tanquam ſupremo rerum omnium principio, & ultimo fini.*

Cur Religio ſit præcipua inter virtutes morales.

Dicitur 1. *virtus moralis*, quia non Deum immediatè reſpicit tanquam proprium objectum, ut virtus Theologica, ſed habet pro objecto cultum Deo debitum: & ideo inter virtutes morales eſt præcipua, quia per eam ad Deum propinquius accedimus.

Dicitur 2. *exhibens Deo cultum debitum*,

bitum, &c. cultus enim Deo debitus, est objectum & actus Religionis: cultus autem ille dicitur Latria, quæ definitur, *cultus Deo soli debitus, & exhibendus in testimonium supremi illius Dominii in res omnes, & nostra servitutis.* Qu'd sit cultus Latriæ.

Nota, Latriam distingui a Dulia, & Hyperdulia in eo, quod Latria respiciat excellentiam divinam & infinitam, proindeque soli Deo debeatur; Dulia verò, & Hyperdulia respiciant excellentiam supernaturalem, sed creatam, finitam, atque a Deo participatam, debeaturque Sanctis. Quomodo Latria, & Hyperdulia inter se differāt.

Dulia ergo sic definienda. *Cultus religiosus qui defertur Sanctis, propter supernaturalem excellentiam, a Deo participatam.* Quid sit Dulia.

Dicitur *cultus religiosus*, ut distinguatur a cultu morali, & politico, qui defertur parentibus, superioribus, &c.

Hyperdulia verò superat Duliam, & ipsa est major, quia respicit excellentiam eximiam & singularem, nulli alteri communicatam, præterquam illi, cui defertur; sicque Hyperdulia debetur Beatæ Mariæ, eo quod ad dignitatem Matris Dei evecta sit. Quid Hyperdulia

Nota, quod Dulia & Hyperdulia non sint actus Religionis, sed alterius virtutis inferioris, nempè Duliæ communiter sumptæ, ut docet D. Thomas quæst. 103. 2, 2.

Quinam sunt actus Religionis?

Actus Religionis alii sunt interiores, alii exteriores.

Interiores sunt duo, nempe *Devotio, & Oratio.*

Quid sit Oratio. *Oratio est mentis ad Deum elevatio, cum petitione decentium ab ipso.*

Dicitur *elevatio mentis*, id est, intellectus & voluntatis.

Dicitur *cum petitione*; sine petitione enim elevatio mentis ad Deum, non esset Oratio, sed Meditatio, vel Contemplatio.

Quæ bona petenda sint. Dicitur *cum petitione decentium*, id est, bonorum, quæ nobis conveniunt secundùm voluntatem Dei, & conducunt ad nostram salutem; alioquin petitio eorum, quæ nobis minimè conveniunt & salutaria non sunt, non est Oratio, nec actus Religionis.

Quotuplex Oratio. Oratio duplex; Mentalis, nempe cùm est interna; Vocalis, cùm est externa; item alia est privata, alia publica, quæ scilicet fit a Ministris Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ.

An attentio sit de essentia Orationis. Nota, quod attentio est de essentia Orationis. Attentio autem est applicatio animi ad Orationem, id est, ad verba Orationis, & ad sensum illorum, vel saltem ad Deum, qui est objectum & finis Orationis. Attentio illa duplex est, actualis, & virtualis;

lis; hæcque saltem requiritur necessariò ad Orationem: nam habitualis & interpretativa non sufficit, cùm ne quidem sit attentio.

Actus exteriores Religionis sunt præcipuè, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Juramentum*, & *Votum*; qui tamen actus exteriores ab interioribus non sejungendi sunt. Quinam sint actus exteriores Religionis.

Adoratio est *cultus Latriæ, qui signis quibusdam externis exhibetur soli Deo, in recognitionem illius infinitæ excellentiæ, supremique Dominii, & nostræ ergà eum servitutis*. Quid sit adoratio

Nota 1. Quod cultus ille exhibetur signis externis, v. g. genuflexione, inclinatione capitis, &c. alioquin est tantùm interna adoratio.

Nota 2. Quod exceptis Sacrificio, Templo, & Altari, omnia adorationis signa, v. g. genuflexio, &c. sunt communia Deo & Sanctis, unde ex sola adorantis intentione determinantur vel ad Latriam, quæ sola propriè est adoratio, vel ad Duliam, Hyperduliamve, quæ impropriè designantur nomine adorationis. Quænam signa externa propria sint adorationis.

Sacrificium definitum est in tractatu de Eucharistia.

Oblatio est, *muneris cujusdam externi donatio, Deo facta, in recognitionem ejus supremi Dominii*. Quid sit oblatio.

Dicitur *donatio muneris cujusdam externi*, ut hæc obligatio distinguatur ab oblatione merè interna.

Nota, quod ad oblationem referuntur primitiæ, decimæ, & alia dona, De primitiis, & decimis.

quæ offeruntur Deo, aut Ecclesiæ propter honorem Dei; vel dantur Dei Ministris ad eorum sustentationem; sic & referuntur oblationes quę fiunt Sanctis: hæ enim cedunt in honorem Dei, licèt propriè pertineant ad Duliam, si propter illorum honorem præcisè fiant.

Quid sit juramentum.

Juramentum, est *attestatio divini numinis: seu invocatio divini testimonii, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.*

An juramentum possit fieri per creaturas.

Dicitur 1. *attestatio divini Numinis*; Deus enim, ut prima & infallibilis veritas, cui omnia nota sunt, invocatur ut testis juramento; per seipsum autem ad testimonium vocari potest, aut per creaturas, in quibus ejus Majestas & veritas magis elucent, ut per Cœlum, per Evangelia, per Crucem, & etiam Sanctorum reliquias.

Quotuplex juramentũ.

Dicitur 2. *ad faciendam fidem, promissionemve firmandam*; duplex est enim juramentum, assertorium nempe, & promissorium: cùm verò jurans sibi imprecatur pœnam a Deo tanquam vindice infligendam, si falsa afferat, vel fidem promissorum fallat, tunc juramentum dicitur execratorium, & imprecatorium.

Quid sit votum.

Votum est *promissio deliberata, Deo facta de meliori bono.*

Dicitur 1. *promissio*, quæ sit vera, cum vera scilicet voluntate se obligandi; & sic distinguitur a simplici desiderio, vel proposito.

Dicitur 2. *deliberata*; nam promis-

sio

sio inconsiderata, & sine sufficienti judicio, ac deliberatione facta, non est votum, nec obligat.

Dicitur 3. *Deo facta*, quia votum est actus Latriæ: potest autem fieri Deo non tantùm immediatè, sed etiam mediatè per Sanctos; at si fiat Sanctis præcisè ad illos honorandos, non propriè votum est, sed pertinet ad cultum Duliæ. An votū possit fieri Sanctis.

Dicitur 4. *de aliquo meliori bono*, id est, votum debet esse primò de aliquo bono, sive sit de consilio, sive etiam de præcepto, non verò de re mala vel indifferenti & vana, vel etiam de bono impossibili. Secundò, debet esse de bono meliori, id est, de bono quod sit melius, quàm ejus oppositum, seu quod non impediat bonum aliquod excellentius & perfectius; sicque nullum esset votum v. g. de Religione nunquam ingredienda, & de nullo opere supererogationis faciendo. De quibus possint fieri vota.

Votum dividitur in absolutum & conditionatum; in reale, personale & mixtum; in expressum & tacitum; sed præcipuè in solemne & simplex. Quotuplex sit votum.

Votum solemne est *illud, quod annexum est professioni Religionis approbatæ, vel susceptioni Ordinis sacri*; & per hoc distinguitur a voto simplici, quod non est annexum his actibus, qui solemnes sunt, & ex Decreto Ecclesiæ votum solemne efficiunt. Ideoque votum simplex Castitatis impedit qui- Quid sit votum solemne. Quid simplex.

dem Matrimonium contrahendum, sed non dirimit ipsum, si contrahatur; solemne verò etiam contractum dirimit, id est, ita impedit Matrimonium contrahendum, ut si postea contrahatur, nullum sit & irritum.

Quid sit Religio.

Nota, quod Religio est *status votis perpetuis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis legitimè firmatus*.

Quare sic dicatur.

Dicitur 1. *status*, id est, vitæ conditio stabilis, qua quis se cultui divino specialiter dicat: & ideo dicitur *Religio*.

Dicitur 2. *votis perpetuis*, & usque ad mortem viventis, an autem possint relaxari a summo Pontifice in quibusdam casibus, negat D. Thomas.

Quæ requirantur ad Religionem.

Dicitur 3. *legitimè firmatus*, id est, secundùm Leges Ecclesiæ requirentis certam regulam, & Sedis Apostolicę approbationem.

Quid sit votum Religionis.

Nota 1. Quod votum Religionis aliquando sumitur pro voto ingrediendæ Religionis, aliquando pro votis Monasticis emissis & acceptatis in Religione; acceptatio enim facta a Superioribus legitimis requiritur necessariò ad votum solemne.

Quot, & quænam sint vota monastica.

Nota 2. Quod vota Monastica & omni Religioni substantialia sunt tria, nempe Obedientia, Paupertas, & Castitas; istaque vota sunt conformia Evangelio Christi illa proponentis & suadentis ad assequendam perfectionem Evangelicam, frustrà oblatrantibus hæreticis, qui dicunt illa vota nulla esse & irrita, immò & mala.

Nota

Nota 3. Quod præter illa tria vota, sunt quædam alia specialia in quibusdam Religionibus, ut v.g. votum abstinendi a carnibus, in Religione Carthusianorum.

Votum solemne Obedientiæ est, *Deo facta promissio, in Religione approbata, parendi mandatis Superioris in iis, quæ spectant regularem disciplinam.* Quid sit votum Obedientiæ.

Votum solemne paupertatis, *est abdicationis dominii, & proprietatis, ac etiam usus independentis ab arbitrio Superioris, Deo facta promissio, in Religione approbata.* Quid votum paupertatis.

Votum solemne castitatis, est *continentiæ perpetuæ a carnibus, voluptatibus, tàm illicitis, quàm aliàs licitis, Deo facta promissio, in Religione approbata.* Quid votum Castitatis.

Quænam sunt peccata virtuti Religionis opposita?

Duo in genere opponuntur; unum per excessum, nempe *superstitio*, alterum per defectum, nempe *irreligiositas*.

Superstitio, *est falsa religio, Deo vero cultum falsum, vel superfluum, aut creaturæ indebitum cultum exhibens.* Quid sit superstitio.

Dicitur 1. *falsa Religio*; est enim falsi nominis Religio.

Dicitur 2. *Deo vero, aut creaturæ*; duplex est enim superstitio, prima quæ Deum spectat, altera quæ crea- Quotuplex genus superstitionis.

creaturam; prior duplex, alia quæ Deo cultum falsum exhibet, qualis est nunc Religio Judæorum Messiam adhuc expectantium, ritusque & cæremonias veteris Legis, adventum Messiæ præfigurantis, etiamnum exercentium: alia verò quæ cultum *superfluum* exhibet, id est, cultum tum a Dei instituto, & ab Ecclesiæ approbatione & consuetudine alienum, tum ad Dei gratiam, nostramque spiritalem utilitatem nihil conferentem; posterior superstitio, quæ spectat creaturam, est quintuplex; *idololatria, magia, divinatio, vana observantia, & maleficium.*

Quid sit Idololatria.

Idololatria est *cultus divinus, alicui creaturæ tanquam Deo exhibitus.*

An fidei opposita.

Nota, quod idololatria non solùm Religioni, sed etiam Fidei est opposita.

Quid sit magia.

Magia est *superstitiosa ratio operandi mira quadam, supra naturales vires hominum, ope Dæmonis tacitè vel expressè invocati, per signa quadam ab eo instituta.*

An fidei opposita.

Nota, quod magia aliquando hæresi conjuncta est.

Quid sit divinatio.

Divinatio est *inordinata & superstitiosa inquisitio rerum aliquarum vel futurarum vel occultarum, quas homo, saltem hic & nunc, naturaliter cognoscere non potest, & quarum notitia a Dæmone expressè vel tacitè invocato expectatur.*

An multis modis fiat.

Nota, quod divinatio fiat multis modis, v. gr. *per somnia, Geomantiam,*

tiam, *Chiromantiam*, *Astrologiam judiciariam*, *Sortilegia*, *&c.*

Vana observantia est *superstitiosa consideratio eventus fortuiti*, *ex quo quis prospera*, *vel adversa ominatur*. Aut est *adhibitio medii inefficacis ad consequendum certum effectum*: v.g. scientiam, sanitatem, &c. Quid sit vana observantia.

Maleficium est *invocatio expressa vel tacita Dæmonis ad patrationem miri operis proximo noxii*, *sive in corpore*, *sive in anima*, *sive etiam in bonis externis*. Quid sit maleficiũ.

Duplex est; aliud amatorium, ad excitandum nempe amorem carnalem in quibusdam, vel è contra odium inter aliquas personas; aliud verò veneficum, ad quodcumque aliud nocumentum procurandum. Et quotuplex.

Irreligiositas, quæ est alterum peccatum Religioni oppositum, est *contemptus divini cultus*; estque multiplex, sed præcipuæ species illius sunt, *tentatio Dei*, *perjurium*, *blasphemia*, *sacrilegium*, *simonia*. Quid sit irreligiositas.

Tentatio Dei est *temeraria expectatio extraordinarii effectus a Deo producendi*, *ex intentione expressa vel tacita perfectionis cujusdam divinæ experiendæ procedens*. Quid sit tentatio Dei.

Perjurium est *juramentum*, *cui deest veritas locutionis*, *vel executionis* cùm nempe jurans loquitur contra id quod sentit; vel quod promisit, exequi non vult. Quid sit perjurium.

Blasphemia est *injuriosa in Deum*, *vel in Dei Sanctos locutio*, ut dictum est suprà. Quid sit Blasphemia.

Nota,

An contraria fidei aliquando. Nota, quod blasphemia aliquando hæresi conjuncta est, sicque opponitur etiam Fidei, ut dictum est; aliquando verò simplex est, & tunc fit non tàm per modum enuntiationis, quàm imprecationis.

Quid sit sacrilegiū. Sacrilegium est *violatio rei sacræ, seu cultui divino dicatæ.*

Et quotuplicis speciei Nota tres esse species sacrilegii.

Quot modis in personas sacras peccetur Prima spectat personas sacras, Clericos scilicet, & Religiosas personas, fitque, vel injiciendo ipsis manus violentas, vel luxuriç crimine quoppiam ipsos violando.

Quot modis in loca sacra. Secunda spectat loca sacra, Ecclesias scilicet, & cœmeteria, fitque vel injusta sanguis humani effusione, vel voluntaria & luxuriosa seminis emissione, vel furto rei cujudam in eis depositæ, vel sepultura excommunicati, infidelisve, vel earum immunitatis violatione, vel eversione earum, aut combustione; vel denique actionibus prophanis quibuscumque.

Quot modis in res sacras. Tertia, spectat res sacras, prout illæ distinguuntur a personis, & locis: res autem illæ sunt, v.gr. Vasa sacra, ornamenta Ecclesiæ, Reliquiæ, immagines, &c. circa illas verò committitur sacrilegium, vel ipsas furando, vel ad prophanum, aut impium usum adhibendo.

Ad hanc speciem pertinet abusus seu prophanatio Sacramentorum, Sacramentalium, & Scripturæ sacræ, &c.

Simo-

Simonia est *studiosa*, *& irreligiosa voluntas emendi vel vendendi, aliquo pretio temporali, aliquid spirituale, vel spiritali annexum.* Quid sit simonia.

Dicitur 1. *studiosa voluntas*, ut includatur etiam simonia mentalis, quæ est in sola voluntate, sine ulla executione externa.

Dicitur 2. *irreligiosa*, quia opponitur religioni, immò & est species quædam sacrilegii.

Dicitur 3. *emendi vel vendendi*, quibus verbis comprehenduntur omnes contractus onerosi.

Dicitur 4. *pretio aliquo temporali*, id est qualibet re, quæ pecunia æstimari potest, & ut vulgo dicitur, quolibet *munere sive a manu, sive a lingua, sive a obsequio.*

Dicitur 5. *aliquid spirituale & sacrum*; res autem sacræ sunt, vel ex natura sua, ut gratia, & dona Spiritus sancti; quę dona ab Apostolis emere voluit Simon Magus, ideoque hoc peccatum nomine *Symoniæ* appellatum est: vel sacræ sunt causaliter, ut Sacramenta, & Sacramentalia; vel effectivè, ut usus potestatis spiritalis, verb. gr. dispensatio, censuræ, absolutio illarum, &c. Res sacræ quot modis sacræ sint. Unde *simoniæ* nomen.

Dicitur 6. *vel spiritali annexum*; idque vel antecedenter, ut Vasa sacra, jus Patronatus, &c. vel consequenter, ut Beneficia Ecclesiastica. Quot modis rei spiritali aliquid annecti possit.

Simonia triplex, realis, conventionalis, & mentalis. Quotuplex simonia.

Rea-

Quid realis.

Realis est, cùm pactum simoniacum initum est expressè vel tacitè, ac præterea utrinque completum.

Quid conventionalis.

Conventionalis est, cùm pactum simoniacum initum est, sed non completum saltem ex utraque parte.

Quid mentalis, & quotuplex.

Mentalis cùm nullum quidem pactum initum est, sed adest voluntas simoniaca, cum externa traditione vel acceptione simoniaca conjuncta; si autem nulla sit traditio & acceptio, dicitur simonia mentalis pura.

Quid est confidentia.

Alia est species simoniæ, quæ speciali nomine dicitur *confidentia*, & est pactum obligans ad alteri resignandum Beneficium, vel Beneficii fructus.

SECTIO II.

De Peccatis.

Quid est peccatum?

Peccatum in genere est prævaricatio Legis divinæ, seu Dei offensa, & injuria illi illata.

Quotuplex Peccatum?

Quid sit peccatum originale.

Duplex originale, & actuale.

Peccatum originale est *privatio justitiæ originalis, per communem originem.*

ginem seu propagationem ab uno homine, scilicet Adamo, primo omnium hominum parente, in omnes homines derivata.

Dicitur 1. *privatio justitiæ originalis;* privatio enim justitiæ seu gratiæ, est genus commune peccato originali, & actuali mortali; at speciale istud est peccato originali, quod sit privatio justitiæ originalis, quæ justitia originalis præter gratiam, virtutesque supernaturales, quibus mens hominis perfectè subjiciebatur Deo, complectebatur alia dona supernaturalia, quibus inferiores animæ vires perfectè subdebantur rationi; ex qua justitia originali sequebantur impassibilitas corporis, seu immunitas a morbis, & immortalitas ipsius.

Quibus donis constabat justitia originalis.

Dicitur autem *justitia*, quia erat perfecta rectitudo hominis: dicitur *originalis*, quia collata est a Deo, primo homini in ejus creatione. Ipsius posteris conferenda erat similiter in eorum origine; eam enim Adamus acceperat a Deo non solùm sibi, sed etiam omnibus suis posteris; at statim atque peccavit, ipsa spoliatus est, posterique ejus ipsa spoliati nascuntur, quandoquidem in ipso peccaverunt: in ipso enim ut in capite continebantur. Hinc peccatum originale dicitur privatio justitiæ originalis.

Quare dicitur *justitia*. Quare *originalis*.

Cur posteri Adæ in ipso peccaverint.

Dicitur 2. *per communem originem, &c.* omnes enim posteri Adami, ab

eo

eo per carnalem propagationem & commixtionem sexuum orti, concipiuntur & nascuntur inquinati peccato, & proinde rei æternæ damnationis, ut dictum est, & est dogma Fidei

An Christus immunis fuerit a peccato originali.

Nota 1. Quod Christus Dominus communi Legi posterorum Adæ non fuit obnoxius, utpote qui per carnalem propagationem ab eo non fuerit ortus; sed conceptus de Spiritu sancto ex beata Virgine.

An Beata Virgo contraxerit peccatum originale vel ejus debitum.

Nota 2. Quod, utrum Beata Virgo Maria concepta sit in peccato originali, non definivit Ecclesia immò Conc. Trid. expresse declarat se nolle ipsam comprehendere in Decreto de peccato originali; probabilior autem sententia, & in quam inclinat Ecclesia, est, quod licèt orta sit ex Adamo per carnalem propagationem, ac proinde contraxerit debitum peccati illius incurrendi, illud tamen peccatum non incurrit, sed sancta & immaculata fuit concepta.

Quid sit peccatum actuale.

Peccatum actuale definitur a sancto Augustino, *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem Dei æternam*.

Quid sit actus humanus.

Dicitur 1. *factum, vel dictum, vel concupitum*, id est, actus humanus, isque malus, seu a recta ratione devius; ad peccatum ergo duo præsertim requiruntur, nempe quod sit actus humanus, deinde quod sit a recta ratione devius.

Quid sit actus liber.

Porrò actus humanus est *actus voluntarius*

luntarius & *liber*; voluntarius quidem, id est, ex inclinatione voluntatis procedens: liber verò, id est, productus cum advertentia rationis, & electione voluntatis, quæ sit immunis non solùm a coactione & vi externa, sed etiam a necessitate interna; sicque actus humanus distinguitur ab actibus indeliberatis & necessariis, qui dicuntur actus hominis. Quid sit actus hominis.

Actus humanus est duplex, bonus, & malus. Quotuplex actus humanus.

Bonus *ille, est qui est conformis rectæ rationi*, cujus proinde bonum est objectum, bonus finis, & bonæ circumstantiæ: quæ circumstantiæ hoc versu exprimuntur. Quid sit bonus.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Actus verò humanus malus est *ille qui devius est a recta ratione*; qui proinde caret, vel bono objecto, vel bono fine, vel aliqua bona circumstantia, unde vulgò dicitur, *bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.* Quid malus.

Dicitur 2. *factum, vel dictum, vel concupitum*: quia omnia peccata reducuntur ad tria genera, nempe ad peccata cordis, oris, & operis, id est, quæ perficiuntur in anima, in locutione, & in operatione externa; vel quia peccata pleraque tres habent gradus, primum in corde seu voluntate, in qua inchoantur, secundum in ore, in quod transeunt, tertium Quid sint peccata cordis, oris, & operis.

tium in executione externa, in qua consummantur.

Quot sint gradus peccatorũ

Nota, quod peccata cordis, tribus etiam gradibus perficiuntur, 1. Suggestione, seu tentatione, 2. Delectatione, 3. Consensu, tum in delectationem, tum in opus.

Quid sint peccata commissionis, & omissionis

Dicitur 3. *factum, vel dictum, vel concupitum*; quibus verbis primariò intelliguntur peccata commissionis, quæ scilicet committuntur contra præcepta negativa prohibentia aliquid fieri, dici, vel concupisci; secundariò verò peccata omissionis, seu non facta, non dicta, non concupita, quę præceptis affirmativis jubentur fieri, dici, & concupisci.

Quænam est regula actionum humanarũ

Dicitur 4. *contra Legem Dei æternam;* regula enim primaria & suprema actionum humanarum est Lex Dei æterna: proxima verò & secundaria est recta ratio, quæ est participatio Legis æternæ. Omnis ergo actus humanus, qui deficit ab utraque regula, seu, qui est illi difformis, est peccatum, & in hac defformitate consistit formale peccati.

Quodnam sit formale peccati.

Quid intelligatur nomine *Legis æternæ*.

Nota 1. Nomine *Legis æternæ*, cui opponitur peccatum, non solùm intelligi Legem divinam naturalem, sed etiam positivam, immò & Legem humanam: quia hæ Leges omnes Legi æternæ subordinantur.

An Deus posit esse author peccati.

Nota 2. Deum non posse authorem esse peccati, siquidem peccatum illi adversatur; & hoc, quod est de fide, definitum est contra veteres & novos

novos Hæreticos, tum in multis Conciliis, tum maximè in Conc. Trid.

Nota 3. Peccata alia aliis esse graviora, prout scilicet opponuntur majoribus præceptis, majorum virtutum actus præcipientibus; hocque tenendum est contra Stoicos, & Jovinianum hæreticum, qui contendebant omnia peccata esse æqualia. Sic peccata v. g. quæ sunt immediatè in Deum, & quæ opponuntur virtutibus Theologicis, sunt graviora aliis. An peccata omnia sint paria.

Nota 4. Peccata illa esse specie diversa, quæ diversis præceptis diversas virtutes, diversosve actus earum jubentibus, vel diversos actus ipsis contrarios prohibentibus opponuntur; hinc enim oritur distinctio specifica peccatorum; numerica verò eorum distinctio sumitur ex morali interruptione, & repetitione eorundem actuum. Unde sumatur distinctio specifica peccatorũ. Unde sumatur numerica.

Nota 5. Ex dictis, peccatum actuale dividi in peccatum commissionis, & omissionis; in peccatum cordis oris, & operis. Sed præterea peccatum actuale dividitur in mortale, & veniale. Quotuplex peccatum actuale.

Peccatum mortale est *aversio a Deo tanquam ab ultimo fine, & adhæsio creaturæ tanquam ultimo fini, ex qua aversione a Deo, & adhæsione creaturæ sequitur mors animæ.* Quid sit peccatum mortale.

Peccatum veniale est *inordinatus affectus ad creaturam, servato ordine finis, cujus proinde venia facilè obtinetur.* Quid veniale.

Ut

An peccata omnia sint mortalia.

Ut istas definitiones intelligas, nota 1. Esse de fide, dari peccata ex genere suo & ex natura sua venialia, alia verò mortalia; non enim omne peccatum ex se meretur pœnam æternam, ut contendunt novi Hæretici: siquidem justi in levia & quotidiana, quæ etiam dicuntur venialia, quandoque cadunt, ut ait Concilium Tridentinum.

Quomodo peccatum mortale differat a veniali.

Nota 2. Quod licèt peccatum veniale sit contra Legem Dei, & non tantùm præter Legem, discrepat tamen a mortali in duobus. 1. Quod mortale tollat ordinem ad ultimum finem, quia tollit charitatem & gratiam, qua homo Deo tanquam ultimo fini conjungitur; ac proinde continet contemptum Dei saltem tacitum: veniale verò non tollit hunc ordinem ultimi finis, sed perturbat ordinem mediorum ad ipsum; non tollit charitatem, sed fervorem charitatis minuit; non tollit gratiam, & amicitiam inter Deum & hominem, sed est levis tantùm offensa Dei. 2. Quod peccatum mortale peccatorem reddat obnoxium morti æternæ, non solùm primæ, quæ est privatio gratiæ & charitatis, sed etiam secundæ, quæ est pœna æterna; at verò veniale non solùm non privat hominem vita animæ, (unde remanente principio vitæ in homine, macula illius facilè elui potest) sed nec reddit hominem obnoxium pœnæ æternæ, verùm temporali duntaxat subeundæ

in

in hoc sæculo; vel in futuro, nempe in Purgatorio.

Nota 3. Quod peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale ex duplici capite: 1. Ex defectu plenæ deliberationis: 2. Ex parvitate materiæ; sicque furtum rei levioris momenti est veniale; observa tamen quod parvitas materiæ non excusat a culpa mortali in omni genere peccatorum, sicut defectu deliberationis; nulla enim datur parvitas materiæ in odio Dei, perjurio, blasphemia, luxuria, revelatione Confessionis. *Quot modis mortale possit fieri veniale.*

Nota 4. Peccatum veniale ex genere suo fieri posse mortale ex multis capitibus. 1. Ex conscientia erronea existimante aliquid esse peccatum mortale. 2. Ratione finis, quando veniale ordinatur ad mortale, vel in ipso veniali constituitur finis ultimus. 3. Ratione periculi proximi peccandi mortaliter. 4. Ratione scandali. 5. Ratione formalis contemptus Legis, vel Legislatoris. *Quot modis veniale possit fieri mortale.*

Nota 5. Quænam peccata ex genere suo sint mortalia, quænam verò venialia, cognosci ex Scriptura sacra, vel ex Traditione, vel ex Doctorum unanimi consensu aut saltem eorum probabiliore sententia, denique etiam aliquando ex ratione naturali. *Unde cognosci possit quodnam ex se mortale est, quodnam verò veniale.*

Nota 6. Quod omne peccatum duos effectus habeat, maculam scilicet, reatum pœnæ; macula est pri- *Quot, & quinam sint effectus peccati.*

vatio nitoris animæ proveniens ex ejus adhæsione ad res terrenas; illa autem macula in peccato mortali est privatio totalis nitoris animæ, id est, privatio charitatis, gratiæ, virtutum, & donorum supernaturalium; simul & divitiarum animæ, meritorum scilicet, & bonorum operum, quorum Deus nullam habet rationem, quandiu peccator in peccato permanserit; at macula peccati venialis non est privatio totalis nitoris animæ, non enim privat animam charitate, gratia, virtutibus, donis & meritis. Observa maculam peccati, etiam actu peccati cessante, tandiu remanere in anima, quandiu pœnitentiæ virtute non abstergitur; & dici peccatum habituale, eo quod tandiu perseverat, quandiu non retractatur per pœnitentiam.

Quid sit macula peccati mortalis.

Quid macula venialis.

Quid sit peccatum habituale.

Reatus pœnæ est *obligatio & debitum pœna propter peccatum admissum, luenda*. Pœna verò debita peccato mortali, est pœna damni, quæ in privatione visionis Dei consistit; & pœna sensus, quæ in tormentis ab igne inflictis, cæterisque cruciatibus consistit: at pœna debita peccato veniali est pœna temporalis, quæ ad tempus luenda est in hac vel altera vita, nempe in Purgatorio, in quo puniuntur animæ ad tempus, & privatione visionis beatificæ, seu potiùs illius dilatione, & pœna sensus seu ignis.

Quid sit reatus.

Quænam pœnæ peccato mortali debitæ.

Quænam peccato veniali.

Peccatum actuale deinde dividitur

tur ratione causarum illius interiorum, nempe intellectus, & appetitus, tum inferioris, tum superioris, in peccatum ex ignorantia, ex cupiditate, seu infirmitate, & ex malitia.

Alia divisio peccati actualis.

Peccatum ex ignorantia, est *illud, quod procedit ex ignorantia vincibili & voluntaria indirectè*, id est, ex ignorantia, quam quis vincere potuit & debuit, quam tamen propter negligentiam non vicit; & dicitur ignorantia *crassa*. Si verò peccatum procedat ex ignorantia invincibili & involuntaria, non est propriè & formaliter pecccatum.

Quid sit peccatum ex ignorantia. Quid sit ignorantia vincibilis, & crassa. Quid invincibilis.

Peccatum ex infirmitate, *est illud, ad quod voluntas inclinatur a concupiscentia, mentis considerationem aliquatenus impediente*; dicitur ex *infirmitate*, quia concupiscentia est infirmitas animæ; si autem concupiscentia totaliter mentis considerationem impediat, non est propriè peccatum.

Quid sit peccatum ex infirmitate. Cur dicatur ex infirmitate.

Peccatum ex malitia, est *peccatum, quod ex plena voluntate & libertate committitur*, adeoque ex sola perversitate voluntatis, cum scilicet nulla ignorantia laborat intellectus, & nulla passione incitatur voluntas.

Quid sit peccatum ex malitia.

Observa tamen, quod etiamsi præcedat ignorantia directè volita, quæ dicitur *affectata*, vel passio consequatur voluntatis actum, peccatum esse ex malitia censendum est; sic etiam peccant ex malitia secundùm D. Thomam, qui peccant ex pravo habitu

Ignorantia affectata non minuit, sed auget peccatum, ita passio consequēs. Ita pravi habitus.

 habitu

habitu per pœnitentiam nondum retractato.

Cur. peccatum infirmitatis dicatur esse in Patrem, peccatū ignorantiæ in Filiū, peccatum malitiæ in Spiritum sanctum. Quid sit propriè peccatum in Spiritū sanctum. Quotuplex.

Nota 1 Quod peccatum *ex infirmitate*, dicitur peccatum in Patrem, cui attribuitur *omnipotentia*; peccatum verò *ex ignorantia*, dicitur peccatum in Filium, cui attribuitur *sapientia*; & peccatum ex *malitia*, dicitur peccatum in Spiritum sanctum, cui attribuitur *bonitas*.

Nota 2. Quod alio sensu magis proprio, peccatum in Spiritum sanctum est *illud, quo divina gratia, quæ Spiritui sancto ceu fonti bonorum omnium tribui solet, ex malitia, & ex contemptu abjicitur*.

An sit aliquod peccatum propriè irremissibile.

Sex vulgo recensentur peccata in Spiritum sanctum. 1. *Præsumptio* de misericordia Dei, vel de impunitate peccati. 2. *Desperatio*. 3. *Impugnatio* agnitæ veritatis. 4. Fraternæ charitatis, & gratiæ *Invidentia*. 5. *Obstinatio* in peccato. 6. *Impœnitentia*, quæ si sit usque in finem, est peccatum, quod propriè irremissibile est, cùm neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur: alia verò sunt irremissibilia impropriè tantùm, quia vix & difficillimè remitti possunt.

Alia divisio peccati actualis.

Peccatum actuale iterum dividitur in peccatum in Deum in seipsum, & in proximum.

Quid sit peccatum in Deum.

Peccatum in Deum, est *illud, quod directè contra Divinam Majestatem committitur, & pervertit ordinem, quem erga Deum servare debemus*; ut

infidelitas, hæresis, præsumptio, desperatio, odium, blasphemia, & generatim quodcumque opponitur virtutibus Theologicis, Religioni & Pœnitentiæ.

Peccatum in seipsum: *illud est quod pervertit ordinem, quem quilibet erga seipsum servare debet*, ut fornicatio, ebrietas, &c. Quid peccatum in seipsum.

Peccatum in proximum est *illud quod pervertit ordinem, quem quisque servare debet erga alterum*; ut inobedientia, odium, invidia, injustitia, sive fiat verbo, sive opere &c. Quid peccatum in proximum.

Peccatum actuale dividitur denique in septem capitalia; eorumque filias. Peccata autem illa septem capitalia sunt: 1. *Superbia*. 2. *Avaritia*. 3. *Luxuria*. 4. *Invidia*. 5. *Gula*. 6. *Ira*. 7. *Acedia*; & designantur litteris hujus vocis barbaræ, SALLIGIA. Alia divisio peccati actualis. Quot sint peccata capitalia.

Dicuntur *capitalia*, quia ex his velut capitibus multa alia oriuntur, quæ dicuntur eorum *filiæ*; dicuntur etiam *mortalia*, non quod semper actu mortalia sint, sed quod ex genere suo sint mortalia. Cur dicantur *capitalia*. Cur mortalia.

Nota 1. Quod ex his, quinque dicuntur peccata *spiritalia*, quæ perficiuntur in delectatione spiritali animæ, superbia nempe, avaritia, invidia, ira, & acedia; alia verò duo dicuntur *carnalia*, quia perficiuntur in delectatione carnali corporis, gula nempe & luxuria, istaque præcipuè; at in generaliori significatio- Quid sint peccata spiritalia. Quid carnalia, & quænam.

ne, plura alia dicuntur *opera carnis*, quæ recensentur a D. Paulo, ut idolorum servitus, veneficia, iræ, rixæ, invidiæ, &c.

An superbia sit peccatum capitale.

Nota 2. Quod Div. Thomas post Div. Gregorium, statuit superbiam quasi matrem & reginam omnium omnino peccatorum, ac deinde vanam gloriam, primum vitium capitale constituit.

Quid sit superbia

Superbia est *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ contra regulam & mensuram a Deo præstitam*.

Quid vana gloria.

Vana gloria est *appetitus inordinatus gloriæ, seu manifestationis propriæ excellentiæ*.

Quænam sint filiæ vanæ gloriæ, & quomodo singulæ definiantur.

Vanæ gloriæ filiæ sunt. 1. *Jactantia*, qua quis propriam excellentiam manifestat verbis. 2. *Hypocrisis*, qua quis simulat se habere excellentiam, quam non habet. 3. *Contentio*, qua quis inordinatè verbis contendit. 4. *Pertinacia*, qua quis obstinatè in sua sententia perseverat, nolens cedere meliori aliorum sententiæ. 5. *Discordia*, qua quis perversè non vult recedere a sua voluntate, ut aliis concordet. 6. *Curiositas*, quæ est inordinatus appetitus sciendi, sive per intellectum, sive per sensum. 7. *Inobedientia*, qua quis non vult subdi legitimo imperio superioris. 8. *Præsumptio* novitatum, qua quis per nova & insolita sectatur admirationem hominum, vel qua quis affectat ea, quæ vires ejus superant: his adde *ambitionem*, quæ est inordinatus appeti-

petitus honoris sibi ab aliis exhibendi.

Avaritia est *appetitus inordinatus divitiarum.* Quid sit avaritia.

Avaritiæ filiæ sunt. 1. *Proditio*, seu dolus, qui committitur in personas. 2. *Fraus*, quæ est deceptio, quæ committitur facto, & quoad res. 3. *Fallacia*, quæ est deceptio, quæ verbo committitur. 4. *Violentia*, seu *Rapina*, qua aliena per vim & palam rapiuntur. 5. *Inquietudo mentis*, quæ est inordinata sollicitudo, qua mens torquetur propter divitias. 6. *Obduratio cordis*, qua cor avari contra misericordiam obduratum est. His adde *furtum*, quod est injusta & occulta rei alienæ usurpatio, & detentio, *injustitiam*, quæ contingit in contractibus, & *usuram*, quæ fit in mutuis; quæ usura definitur *studiosa voluntas capiendi lucri immediatè, & principaliter ex mutuo, seu lucrandi aliquid præter sortem & summam capitalem, ob solum mutuum.* Quænam illius filiæ, & quomodo definiantur.

Luxuria est *inordinatus appetitus & usus venereorum, seu carnalis & libidinosæ voluptatis.* Quid sit luxuria.

Luxuriæ sunt sex species. 1. *Fornicatio*. 2. *Stuprum*. 3. *Adulterium*. 4. *Incestus*. 5. *Raptus*. 6. *Vitium contra naturam.* Quot sint illius species.

Fornicatio est *inordinatus usus venereorum soluti cum soluta a quocumque vinculo, sive matrimonii, sive cognationis, & affinitatis, sive Ordinis sacri, & voti castitatis.* Quid sit fornicatio.

Quid stuprum. Stuprum est *defloratio virginis, sive consentientis, sive invita.*

Quid adulterium. Adulterium est *inordinatus usus venereorum cum persona conjugata.*

Quid incestus. Incestus est *inordinatus usus venereorum cum persona consanguinitatis, vel affinitatis, intra prohibitos gradus, nexu conjuncta.*

Quid raptus. Raptus est *violenta abductio personæ, explendæ libidinis causa,* aut *violenta oppressio illius.*

Quid vitium contra naturã, & quotuplex. Vitium contra naturam est *inordinatus usus venereorum contra naturam venerei actus;* quatuorque modis contingere potest. 1. Absque consortio alterius personæ, & est *pollutio,* seu *immunditia vel mollities.* 2. Cùm inter personas ejusdem sexus contingit, & est *sodomia.* 3. Cùm non servatur æqualitas ejusdem speciei nempe naturæ humanæ, & est *bestialitas.* 4. Cùm non servatur modus naturalis actus venerei in eadem specie, inter diversos sexus, & est *vitium anonymum:* his sex speciebus luxuriæ adde *sacrilegium,* quod est *violatio per actum venereum personæ Deo sacræ, vel loci sacri.*

Quid sacrilegium luxuriosũ.

Quot, & quænam sint filiæ luxuriæ. Luxuriæ actus imperfecti sunt aspectus, oscula, tactus, &c. quia actus reducuntur ad species prædictas actuum completorum.

Luxuriæ filiæ sunt. 1. *Cæcitas mentis.* 2. *Inconsideratio,* 3. *Præcipitatio,* 4. *Inconstantia.* 5. *Amor sui.* 6. *Odium Dei.* 7. *Affectus præsentis sæculi.* 8. *Horror futuri.*

Invi-

Invidia est *tristitia de bono proximi, quatenus imminutivo propria excellentia.* Quid sit invidia.

Invidiæ filiæ sunt. 1. *Odium proximi.* 2. *Susurratio*, quæ est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam honestam, quæ est inter aliquos. 3. *Detractio*, quæ est denigratio alienæ famæ per occulta verba. 4. *Exultatio* in adversis proximi. 5. *Afflictio* in prosperis. Quænam illius filiæ & quomodo definiantur.

Gula est *inordinatus appetitus, & usus cibi & potus*; contingit quinque modis, præveniendo sine necessitate tempus edendi, quærendo lautiores cibos, excedendo in quantitate ciborum, avidius comedendo, studiosius præparatos cibos appetendo; qui modi hoc versu exprimuntur. Quid sit gula, quot illius species.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Ad gulam pertinet ebrietas, *quæ est inordinatus usus potus inebriativi, seu rationis usum impedientis.* Quid sit ebrietas.

Gulæ filiæ sunt. 1. *Hebetudo mentis.* 2. *Inepta lætitia.* 3. *Multiloquium.* 4. *Scurrilitas.* 5. *Immunditia* per vomitum, vel fluxum libidinosi humoris. Quænam sint filiæ gulæ.

Ira est *inordinatus appetitus vindictæ.*

Iræ filiæ sunt. 1. *Rixa seu Pugna.* 2. *Tumor mentis*, quando quis adversus alium est amaro animo. 3. *Contumelia*, cùm quis prorumpit in verba injuriosa proximo. 4. *Indignatio* Quid sit ira.

Quænam illius filiæ, & quomodo definiãtur.

quando non vult videre eum, cui irascitur. 5. *Clamor* qui est inordinata & confusa locutio. 6. *Blasphemia*.

Quid est Acedia.

Acedia est *tristitia de bono Dei, vel de quocumque bono spiritali proprio*.

Quænam sint illius filiæ, & quomodo definiantur.

Acediæ filiæ sunt. 1. *Malitia*, qua quis spiritualia impugnat. 2. *Rancor*, quo quis spiritualibus viris ad spiritualia inducentibus irascitur. 3. *Pusillanimitas*, qua quis ab operibus & oneribus vires suas non superantibus refugit. 4. *Desperatio*, qua quis desperat de sua salute. 5. *Torpor*, qua quis tepidè circa præcepta adimplenda versatur. 6. *Evagatio mentis*, qua mens circa illicita, & delectabilia exteriora distrahitur.

Quot, & quænam sint peccata clamantia in cœlum.

Observa, quod inter peccata omnia, quatuor præsertim in cœlum clamare dicuntur; eo quod valde sint abominanda, & vindictam divinam etiam in hac vita inclamare perhibeantur, & sunt. 1. Homicidium voluntarium. 2. Peccatum sodomiticum. 3. Oppressio pauperum, viduarum, & pupillorum. 4. Defraudatio mercedis operariorum.

SECTIO III.

De Decalogo.

Quid est Decalogus?

DEcalogus est *summa omnium Legum, quæ hominibus data sunt, decem Præceptis comprehensa*.

Dicitur 1. *Summa omnium Legum*, quia omnes Leges tum divinæ, tum humanæ reducuntur ad decem Præcepta Decalogi. — An omnes Leges reducantur ad Decalogum.

Dicitur 2. *Decem Præceptis comprehensa* & ideo dicitur *Decalogus*, id est, Latinè *decem verba*. — Unde nomen Decalogi.

Porrò ut intelligatur quid sit Decalogus, quandoquidem est summa omnium Legum, sciendum est quid sit Lex, & quotuplex sit.

Lex in genere est *recta regula seu mensura humanorum actuum, secundùm quam ad bene agendum dirigimur, & a malè agendo retrahimur*. — Quid sit Lex.

Lex dividitur in æternam & temporalem, seu in tempore datam; ista dividitur in divinam, & humanam. Divina dividitur in naturalem, & positivam seu scriptam; hæcque duplex est, vetus & nova. Humana denique quæ etiam positiva dicitur, eo quod libera Legislatoris voluntate posita sit, duplex est, Canonica seu Ec- — Quomodo Lex dividatur.

clesiastica, & Civilis seu Politica.

Quid sit Lex æterna. Lex æterna est *ratio divinæ sapientiæ, & voluntatis, quatenus omnium actionum est directiva.*

Quid Lex naturalis. Lex naturalis est *participatio Legis æternæ in rationali creatura, seu impressio divini luminis, quod ad ea agenda, quæ rationi conformia sunt, & ad ea vitanda, quæ ipsi dissentanea sunt, dirigimur.*

Quænam sint principia Legis naturalis. Legis naturalis primum principium est illud, *declina a malo, & fac bonum.* Post quod, alia duo sunt prima principia. Primum, *alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Secundum, *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ex his deducuntur immediatè alia præcepta, quæ etiam dicuntur prima principia, quia omnibus nota sunt, nec invincibiliter ignorari possunt, v. g. *colendus est Deus, honora parentes, non occides, non furaberis, &c.* at sunt alia præcepta, quę etiam deducuntur ex primis principiis non immediatè, sed remotè, & dicuntur secundaria & remota præcepta Legis naturæ: hæcque cum sine instructione divina vel disciplina humana, ut ait D. Thomas, intelligi non possint, non sunt omnibus nota, & invincibiliter possunt ignorari.

An illa invincibiliter ignorari possint.

Quid sit Lex positiva. Lex positiva divina est *ea, quæ naturali Legi superaddita est ex libera Dei voluntate, & litteris est consignata.*

Quid sit Lex vetus. Lex vetus seu Mosaica est *Lex positiva divina, data populo Judaico per Angelum, mediatore Moyse.*

Nota

Nota 1. Dogma esse fidei definitum ab Ecclesia contra Marcionitas & Manichæos, hanc Legem veterem a Deo datam esse, eamque fuisse bonam, & utilem.

An fuerit a Deo data.

Nota 2. Quod Lex illa Mosaica continebat præcepta triplicis generis; Cœremonialia scilicet, Judicialia, & Moralia: Cœremonialia ordinabant ritus cultus divini, Judicialia ordinabant judicia servanda inter Judæos, Moralia denique ordinabant mores, & actiones humanas cujuslibet hominis.

Quotuplicis generis præcepta continebat.

Nota 3. Quod Lex Mosaica quoad præcepta cœremonialia & judicialia, non verò quoad moralia antiquata est & abolita a tempore mortis Christi, itaut nullam vim obligandi amplius habuerit; a quonam verò tempore sit mortifera, itaut sine peccato observari non possit, incertum est.

An illa omnia præcepta sint abolita.

A quo tẽpore Lex vetus fuerit mortua.

A quo tẽpore mortifera.

Nota 4. Quod Lex vetus continetur in Libris veteris Testamenti, sed præcipuè in Libris Moysis, & Prophetarum.

Lex nova seu Evangelica est *Lex positiva divina, universis hominibus data per Legislatorem Christum Dominum.*

Quid sit Lex nova.

Ista Lex continetur in Evangeliis, aliisque Libris novi Testamenti: immò & Traditionibus divinis, licèt non scriptis multa præcepta ad illam pertinentia nobis exhibentur.

Ubi continetur.

Nota, quod Lex nova & vetus diffe-

Quot modis Lex nova differat a veteri. differunt quadrupliciter. 1. Quod vetus exterius scripta fuerit in tabulis lapideis, vel membranis; nova verò non tàm exterius scripta sit, quàm interius, in corde scilicet, & quidem digito Dei, Spiritu sancto nempe, Charitatem Dei diffundente in cordibus nostris. 2. Quod Lex vetus coërceret homines a peccato pœnæ timore, & ideo Judæi censebantur servi; nova verò inclinet ad bonum amore justitiæ, & ideo Christiani filiorum Dei nomine jure glorientur. 3. Lex vetus temporalia bona duntaxat, terrenamque felicitatem expressè & apertè promittebat; nova verò spiritalia bona, æternamque beatitudinem. 4. Lex vetus licèt bona, per accidens tamen, non per se erat *litera occidens*, reosque homines & transgressores faciebat, ostendendo, & prohibendo peccatum, nec tamen vires præbendo ad illud vitandum; nova verò Lex justos facit, nos liberandos a peccato per gratiam & charitatem Spiritus sancti.

Judæi *servi*, Christiani verò *Filii Dei* sunt.

Quomodo Lex vetus peccatores faciebat.

An gratia sit propria novæ Legis, & novi Testamenti.

Nota, deinde justos veteris Testamenti, qui *spiritales* Judęi erant, observasse præcepta Legis non timore pœnæ, sed amore justitiæ; non propter terrenam felicitatem primariò, sed propter æternam; non viribus propriis, & acceptis a sola Lege, sed a gratia & charitate Spiritus sancti; ac proinde pertinuisse ad novum Testamentum, licèt tempore veteris vive-

viverent: *carnales* verò Judæos è contra ductos fuisse solo timore pœnæ, solam terrenam felicitatem spectasse, ac proinde non verè Legem observasse. An carnales Judæi Legem revera impleverint.

Lex humana est *Lex positiva Legi naturali conformis, legitima potestate Superioris Ecclesiastici, vel Civilis instituta, ad bonum commune ordinata, sufficienterque subditis promulgata.* Quid sit Lex humana.

Dicitur 1. *conformis Legi naturali*; omnis enim Lex derivari debet a Lege naturali ut sit justa. Prima conditio Legis.

Dicitur 2. *legitima potestate*: Lex enim debet ferri a Superiore, & subditis imponi, nec excedere potestatis illius limites. Secunda conditio.

Dicitur 3. *superioris Ecclesiastici, vel Civilis*; duplex enim est potestas, cui ex necessitate & in conscientia subduntur homines; nempe Ecclesiastica in iis, quæ salutem spectant, & Civilis in iis, quæ ad publicam tranquillitatem pertinent: ac proinde *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ut ait D. Paulus, *&* *non solùm propter iram*, id est pœnam, *sed etiam propter conscientiam*. Ex quo colligas Leges etiam humanas in conscientia, sub peccato obligare, cùm nempe sic intendunt obligare Superiores; idque de fide est, & definitum in Concilio Constantiensi contra Vviclessum, & Joannem Hus; sicut & in Viennensi contra Begardos & Beguinas antea definitum fuerat. Quotuplex Lex humana. An Leges humanæ obligent sub peccato.

Dici-

Tertia conditio Legis.

Dicitur 3. *ordinata ad bonum commune*; nam bonum commune, non verò privatum aliquod commodum est finis Legis.

Quarta conditio.

Dicitur 4. *sufficienter promulgata*; promulgatio enim est de essentia Legis, vel saltem ita necessaria, ut sine ipsa Lex non obliget, cùm sine promulgatione legitimè subditis nota esse non possit.

Quid sit Lex Ecclesiastica.

Lex Ecclesiastica est *ea quæ a Superiore Ecclesiastico lata est, dirigitque ad æternam beatitudinem*.

Quomodo dividatur.

Leges Ecclesiasticæ aliæ scriptæ sunt, alię non scriptę: scriptę sunt Canones & Decreta Conciliorum Generalium, Nationalium, & Diœcesanorum; item Constitutiones summorum Pontificum, & Statuta Episcoporum. Non scriptæ sunt Traditiones quæ ab Apostolis, & ab Apostolicis viris circa Scripturam traditæ, ad nos usque continua successione pervenerunt: item sunt Consuetudines tum generales, quæ servantur ab universa Ecclesia, tum particulares alicujus Nationis, Provinciæ, aut loci particularis;

Quid sit consuetudo.

Consuetudo autem est *jus quoddam non scriptum, sed moribus institutum, quod pro Lege suscipitur*.

Quid sit Lex Civilis.

Lex Civilis est *Lex humana quæ ad tranquillitatem publicam instituta est a Superiore Civili*, v. gr. Regibus, Principibus, Rebuspublicis, vel Magistratibus.

Summa omnium Legum Decalogus

gus jam definitus est, sed prætereà, sic rectè definiri potest; *prima regula omnium actuum humanorum, obligans omnes homines ad sui observantiam.* Alia definitio Decalogi.

Dicitur 1. *regula*, quia est Lex, Lex autem est regula.

Dicitur 2. *prima regula*, quia continet omnia præcepta Legis naturæ, immò & cæteræ Leges ad ipsum reducuntur.

Dicitur 3. *omnium actuum humanorum*, quia præcipit omnes virtutes, prohibetque vitia omnia, secundùm omnes & diversos status hominum; hinc colligas decem Præcepta Decalogi esse simul affirmativa & negativa; affirmativa quatenus præcipiunt actus quosdam virtutum in certis circumstantiis, & temporibus; negativa verò quatenus prohibent omninò, & pro omni tempore certa vitia & peccata. An singula Præcepta Decalogi sint affirmativa, & negativa.

Dicitur 4. *obligans omnes homines ad sui observantiam*; omnes enim homines tenentur Lege Decalogi, & est dogma fidei definitum in Conc. Trid. contra novos hæreticos dicentes, Christianos teneri tantùm Præcepto fidei; & decem Præcepta Legis non pertinere ad Christianos, ipsosque esse liberos ab observantia Mandatorum Ecclesiæ; quos errores damnavit laudatum Concilium, *sess.* 6. *&* 7. An Christiani teneantur præceptis divinis, & Ecclesiasticis.

Nota 1. Quod est de Fide. Præcepta Dei homini justificato ad observandum non esse impossibilia, sicque An Præcepta Dei sint impossibilia.

que *ibid.* definivit Concilium Tridentinum; immò illa nulli hominum cum gratia Dei impossibilia censenda sunt, sed potius facilia, iis nempe qui Deum diligunt; illius enim Mandata gravia non sunt, sed jugum ejus suave est, & onus leve.

An facilia.

Nota 2. Quod dilectio est plenitudo Legis, id est, sine dilectione justitiæ saltem inchoata, nullum Dei præceptum potest impleri, ut oportet; hinc tamen non inferas cum *Quietistis*, quod is, qui amorem Dei, vitæ mysticæ proprium habet, non debeat curare observantiam Mandatorum Dei, & Ecclesiæ, usum Sacramentorum, Sacramentalium, & Imaginum, Orationem vocalem, mortificationes carnis, & cæterarum virtutum actus; amor enim Dei qui est plenitudo Legis, non est otiosus & iners, nec ab exercitio aliarum virtutum vacare debet, immò illas omnes imperare debet, & ad finem ultimum, nempe Deum, ordinare.

An dilectio sit plenitudo Legis, & quo modo. Refutatur error *Quietistarum*.

Nota 3. Quod omnia Præcepta continentur in his duobus Præceptis Charitatis Dei, & proximi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hec est maximum, & primum Mandatum; Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum; in his duobus Mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ*; hæc sunt verba Christi apud Matthæum cap. 22.

Quot sint Præcepta Charitatis.

Nota

Nota 4. Decalogum distributum fuisse in duas tabulas, in quarum prima continebantur tria Præcepta quæ Deum spectant, & in secunda septem alia quæ spectant proximum. Quot erant tabulæ Decalogi quid in prima, quid in secunda continebatur.

Quot, & quænam sunt Præcepta Decalogi?

Præcepta Decalogi sunt decem, hisque verbis, istoque ordine traduntur 20. capite Exodi & 5. Deuteronomii.

I.

„ Ego sum Dominus Deus tuus,
„ qui eduxi te de terra Ægypti, de
„ domo servitutis: Non habebis Deos
„ alienos coram me; Non facies ti-
„ bi sculptile, neque omnem simili-
„ tudinem quæ in cœlo est desuper,
„ & quæ in terra, deorsum, nec
„ eorum quæ sunt in aquis: Non
„ adorabis ea, neque coles &c.

II.

„ Non assumes nomen Domini
„ Dei tui in vanum, &c.

III.

„ Memento ut diem Sabbati san-
„ ctifices, &c.

IV.

„ Honora patrem tuum & ma-
„ trem.

„ trem tuam, ut sis longævus super
„ terram, quam Dominus Deus tuus
„ dabit tibi.

V.

„ Non occides.

VI.

„ Non mœchaberis.

VII.

„ Non furtum facies.

VIII.

„ Non loqueris contra proximum
„ falsum testimonium.

IX.

„ Non concupisces uxorem proxi-
„ mi tui.

X.

„ Non domum, non agrum, non
„ servum, non ancillam, non bo-
„ vem, non asinum, & universa
„ quæ illius sunt.

Hæc decem Præcepta brevius his versibus comprehenduntur.

Unum crede Deum, nec jures vana per ipsum,
Sabbata sanctifices, habeas in honore parentes,
Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus;
Nec sponsam alterius, nec res cupias alienas,

De

De primo Præcepto.

Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Non habebis Deos alienos coram me; Non facies tibi sculptile, &c.

Observa hæc verba. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo servitutis,* esse procemium totius Decalogi, hæcque præmissa fuisse a Deo, ut majestatem suam & bonitatem suam ostenderet, sicque suæ Legi authoritatem & affectum nostrum illius observandæ conciliaret; majestatem quidem suam commendat Deus dicendo, *Ego sum Dominus*, bonitatem verò dicendo, *Deus tuus*, a quo scilicet conditi sumus, conservamur, & multa beneficia accipimus, inter quæ beneficia maximum fuit respectu Judæorum liberatio a servitute Ægyptiaca; respectu verò Christianorum est liberatio a potestate tenebrarum, & tyrannide Diaboli, cujus figura fuit servitus Ægyptiaca, & dominatus Pharaonis.

Cur hæc verba: *Ego sum Dominus, &c.* præmissa sint decem Præceptis.

An hæc verba: *Qui eduxi te, &c.* pertineant ad Christianos.

Quisnam sensus illorum verborum: *Non habebis Deos alienos coram me.*

Observa deinde, primum præceptum esse simul affirmativum & negativum; hæc enim verba, *non habebis*

bebis Deos alienos coram me; hunc habent sensum, *me verum Deum coles, nec alienis Diis cultum exhibebis*; sicque præcipitur cultus veri Dei; & prohibetur cultus aliorum Deorum.

Quomodo Deus colatur. Porrò Deus colitur Fide, Spe, & Charitate, ut ait D. Augustinus; & præterea colitur Religione; ergo primum Decalogi præceptum continet præcepta Fidei, Spei, & Charitatis; ergo vi illorum præceptorum tenetur quilibet homo elicere actus illarum virtutum sæpius in vita, & non semel duntaxat, ut quidam erroneè arbitrati sunt.

Quandonã ad actum fidei teneatur homo. Ad actum Fidei tenetur homo cùm primùm ei proponuntur credenda Mysteria Fidei, deinde quoties se disponere vult ad justificationem; tuncque tenetur simul ad actum Spei, & actum amoris divini, perfecti quidem extra Sacramenta Baptismi, & Pęnitentiæ, imperfecti verò saltem in receptione illorum Sacramentorum. 3. Ad actum Fidei tenetur quoties Corpus Christi in Eucharistia recipit. 4. Cùm gravis urget tentatio, maximè quæ sit contra Fidem. Denique in mortis periculo; ad hunc enim actum simul & ad actum Spei, & Charitatis perfectæ certissimè tenetur.

Quandonã ad actum Spei. Ad actum Spei præterquam in casibus supradictis tenetur homo, quoties gravis ingruit tentatio, maximè

mè quæ sit contra Spem, & quoties orationi operam dat, sive ex præcepto oret, sive ex devotione tantùm. Oratio autem est de præcepto tum Divino tum Ecclesiastico, sicque necessaria est ad salutem necessitate præcepti Divini & Ecclesiastici; Divini quidem, maximè cùm occurrit gravis quidam tentatio, vel difficultas in observatione alicujus præcepti, graves enim tentationes & difficultates superari non possunt sine speciali gratia Dei, quæ non nisi oratione impetrari potest a Deo; Ecclesiastici verò præcepti necessitate, oratio omnibus necessaria est diebus Dominicis & Festivis; immò & quotidie viris Ecclesiasticis, qui Horas Canonicas recitare tenentur.

Quandonā ad Orationem.

Ad actum Charitatis tenetur homo, cùm primum rationis usum adeptus est; deinde quoties ad actum perfectæ Contritionis eliciendum tenetur quando scilicet tenetur reconciliari Deo extra Sacramentum Pœnitentiæ, deestque copia Confessarii. Tertiò, quando gravi impetitur tentatione odii Dei, blasphemiæ, aliorumque similium peccatorum. Quartò, quando aliquis actus Religionis est exercendus, ad actum amoris Dei saltem inchoatum tenetur; ad ritè enim adorandum Deum, ipsumque orandum, & ad assistendum debitè Sacrificio, affectum lethalis peccati deponere debemus & tene-

Quandonā ad actum Charitatis.

mur, quod non potest fieri sine inchoatione saltem quadam amoris divini. Denique tenemur ad actum Charitatis in casibus supradictis, & etiam sæpiùs in vita, sed & præsertim in periculo mortis.

An affectu interno diligere proximum teneamur.

His adde, eodem Charitatis Præcepto teneri hominem ad diligendum proximum dilectione tum interna & affectiva, tum externa & effectiva, ipsum nempe prosequendo amore interno, simulque signa externa amoris, & officia ipsi exhibendo; quod fit maximè per beneficentiam, eleemosynam tàm corporalem quàm spiritalem, præsertimque correptionem fraternam; qui omnes actus externi Charitatis, de quibus postea, sunt de præcepto, & ligant sub peccato mortali in certis casibus.

Quid præcipiat vel prohibeat primum preceptū.

Observa denique primo Præcepto Decalogi, quatenus affirmativum est, supradictos actus Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis præcipi; eodemque, quatenus negativum est, specialiter prohiberi omnia peccata his virtutibus opposita, maximeque idololatriam, quæ expresse prohibetur his verbis, *non habebis Deos alienos coram me, &c.*

An prohibeatur invocatio Sanctorū, & veneratio eorum Reliquiarum.

Nota tamen 1. Huic prohibitioni & Legi non repugnare invocationem & venerationem sanctorum Angelorum, & animarum Beatarum, aut etiam venerationem, tum Corporum, tum Reliquiarum ipsorum, & est dogma fidei, quod sic explicat

cat Concilium Tridentinum *seff.* 25.
„ Fideles instruant (*Episcopi*) docen-
„ tes eos, Sanctos unà cum Christo
„ regnantes, orationes suas pro ho-
„ minibus Deo offerre: bonum at-
„ que utile esse suppliciter eos in-
„ vocare, & ob beneficia impetran-
„ da a Deo per Filium ejus Jesum
„ Christum Dominum nostrum, qui
„ solus noster Redemptor & Sal-
„ vator est, ad eorum orationes,
„ opem, auxiliumque confugere:
„ illos verò qui negant Sanctos æ-
„ terna felicitate in cœlo fruentes,
„ invocandos esse, aut qui asserunt,
„ vel illos pro hominibus non ora-
„ re; vel eorum, ut pro nobis et-
„ iam singulis orent, invocationem
„ esse idololatriam; vel pugnare
„ cum verbo Dei, adversarique ho-
„ nori unius Mediatoris Dei, & ho-
„ minum Jesu Christi; vel stultum
„ esse, in cęlo regnantibus voce,
„ vel mente supplicare, impiè sen-
„ tire, Sanctorum quoque Marty-
„ rum, & aliorum cum Christo vi-
„ ventium corpora, quæ viva mem-
„ bra fuerunt Christi, & templum
„ Spiritus S. ab ipso ad æternam
„ vitam suscitanda, & glorificanda,
„ a Fidelibus veneranda esse, per
„ quæ multa beneficia a Deo homi-
„ nibus pręstantur, itaut affirman-
„ tes, Sanctorum Reliquiis venera-
„ tionem, atque honorem non de-
„ beri; vel eas, aliaque sacra mo-
„ numenta a Fidelibus inutiliter ho-

Utilis est invocatio Sanctorũ; & non est idololatria.

Sancti pro hominibus orant, *Cultus Sanctorum* cultui Dei non repugnat.

Cur corpora veneranda sint.

Memoriæ Sanctorum frequentandæ.

„ norari atque eorum opi impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omninò damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

His verbis luculenter explicatur dogma Fidei de invocatione Sanctorum, & Reliquiarum honore „ juxta „ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta : „ ac præterea luculenter refelluntur omnes errores Hæreticorum nostri temporis, ac rationes quibus illos tuentur, istamque in primis

Quomodo Christus solus Mediator est.

solum Jesum esse Mediatorem nostrum, proindeque Sanctos non esse invocandos; confitemur enim ipsum solum esse Mediatorem propria & perfecta ratione, quia solus Redemptor noster, & Salvator est, sed confitemur nihilominus Sanctos Mediatores nostros esse minus perfecta ratione, nempe propter suffragium intercessionis eorum apud Deum, quorum tamen suffragium subnixum est meritis Chisti.

An Sancti sint Mediatores.

An usus imaginum sit idololatria.

Nota 2. Usum legitimum & cultum Imaginum Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum non adversari primo præcepto; est dogma fidei firmatum Traditione, & Decreto tum Concilii Nicæni II. contra veteres Iconoclastas, tum Concilii.

cilii Tridentini contra Hæreticos nostri temporis, istudque dogma sic explicavit hoc Concilium *ibid.* „ Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in „ Templis præsertim habendas, & „ retinendas esse, (*doceant Episcopi*) „ eique debitum honorem, & venerationem impertiendam, non „ quod credatur inesse aliqua in iis „ divinitas vel virtus, propter quam „ sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in „ Imaginibus sit figenda, veluti olim „ fiebat a Gentibus, quæ in idolis „ spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: itaut per Imagines, „ quas osculamur, & coram quibus „ caput aperimus, & procumbimus, „ Christum adoremus, & Sanctos, „ quorum illæ similitudinem gerunt, „ veneremur; id quod Conciliorum, „ præsertim verò secundæ Nicenæ „ Synodi decretis contra imaginum „ oppugnatores est sancitum. „ Ex his colligas cultum imaginibus exhibendum, non esse absolutum, qualis est ille, qui exhibetur Sanctis per illas repræsentatis, sed respectivum & relativum duntaxat: id est, qui transeat, & referatur ad res repræsentatas.

Quisnam usus imaginum sit idololatria.

Quisnam cultus imaginibus defendus.

Petes, an non sit illicitum pingere Deum, & Angelos? sed ex Concilio Tridentino ista responsio

An licitū sit pingere divinitatē,

huic difficultati colligitur quod illicitum est Divinitatem figurare, quasi oculis corporeis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit; at non est illicitum adumbrare Personas Trinitatis signis quibusdam, & figuris, sub quibus apparuerunt, juxta Historias, & narrationes sacræ Scripturæ; pingi potest Pater sub figura senis, qualis visus est Danieli; Filius sub forma hominis, quam assumpsit; & Spiritus sanctus sub forma columbæ, sub qua visus est in Jordane. Possunt etiam pingi Angeli sub forma hominis, sub qua sæpius apparuerunt in veteri Testamento; possunt & cum alis pingi, non quod reverà corpus, & alas habeant, sed ut illorum proprietates, & functiones repræsententur rudibus populis; caveant tamen illi, ne Patrem divinum seniorem Filio credant, non ideo enim repræsentatur sub forma senis, sed ut ejus æternitas, quæ tamen & Filio communis est, significetur hac forma.

An tres Personas Trinitatis

An Angelos.

Cur Pater sub forma senis pingatur.

De secundo Præcepto.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Quid præcipiat secundum Præceptū.

Istud Præceptum est etiam affirmativum, & negativum; aliquid enim præcipit, & aliquid prohibet fieri. 1. Præcipit honorari nomen

Dei

Dei; quod quidem fit multis modis, sed præcipuè, cùm adhibetur nomen Dei pro veritatis confirmatione, quę alioquin periclitatur, idque exigit magna necessitas vel utilitas, seu cùm juratur per nomen Dei *in veritate, in judicio & justitia*, ut ait Jeremias.

His tribus conditionibus munitum juramentum, tantùm abest, ut prohibeatur hoc Præcepto, sicut quidam hæretici malè arbitrati sunt, ut etiam licitum sit & honestum; neque enim Christus in Evangelio prohibuit omne juramentum, sed jurandi duntaxat consuetudinem, quæ jurantem perjurandi periculo exponit; sicque semper sensit Ecclesia.

Quot sint conditiones juramenti liciti, & quænam

An omne juramentũ sit illicitũ.

2. Istud Præceptum prohibet, ne nomen Dei in vanum assumatur; id est, ne per ipsum falsò, temerè, aut frustrà juretur; quod fit, cùm aliqua ex tribus dictis conditionibus deest juramento; vel *veritas*, cùm nempe quis jurat tanquam verum quod falsum putat; vel *judicium*, cùm nempe quis temerè & sine ulla necessitate & discretione jurat; vel denique *justitia*, cùm nempe quis aliquid injustum vel inhonestum cum juramento promittit, aut etiam exequitur, & cùm illud quod justè & honestè jurat, exequi non intendit, aut postea sine legitima causa executioni mandare detrectat.

Quid prohibeat secundum præceptũ.

Præterea hoc præcepto prohibetur blasphemia, votorum illicita & te-

Quid præterea prohibeat.

meraria emissio, honestorum & legitimorum infractio & violatio.

De tertio Præcepto.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

Quid intelligatur nomine Sabbati.

Observa 1. Quod Sabbatum, Hæbraicum nomen, latinè *cessatio*, sive *requies* dicitur; quia sicut Deus, absoluta mundi creatione, requievit ab omnibus operibus, quæ sex diebus patrarat; ita jussit Hebræos die septima ab omni opere servili vacare, istamque diem Religionis & pietatis operibus sanctificare, seu sanctam & solemnem habere.

An Præceptum Sabbati solos Judæos spectaverit.

Observa 2. Istud Præceptum esse partim cœremoniale, & partim morale; cœremoniale, quatenus certus dies, nempe septimus quieti & vacationi ab operibus servilibus assignatus est: morale verò quatenus præscribit, ut aliqua temporis parte versemur in iis, quæ ad Dei cultum pertinent. Quatenus morale est istud præceptum, naturale & immutabile est, quatenus verò cœremoniale, positivum est, & mutabile, atque ad solos Judæos pertinebat; unde ab Apostolis Sabbati celebritas translata est in diem Dominicam, eò quod maximè, illo die Christus resurrexit a mortuis, & Spiritus sanctus descendit in Apostolos; ac ne Christiani haberent

An sit mutabile. Cur solemnitas Sabbati translata sit in primam diem hebdomadæ, quæ dicitur *Dominica*.

berent aliquid commune cum Judæis.

Obſerva 3. peccare, & quidem lethaliter contra hoc Præceptum. 1. Vacando operibus ſervilibus & prohibitis juxta morem Eccleſiæ, extra caſum pietatis, aut juſtæ neceſſitatis. 2. Non vacando Religionis exercitio; quod exercitium ex Statuto & Præcepto Eccleſiæ eſt attenta & devota Miſſæ integræ auditio: niſi excuſet moralis impoſſibilitas, ſeu gravis neceſſitas.

Quot modis violari poſſit tertium Præceptum. Quænam Religionis exercitia ſint præcepta diebus Dominicis, & Feſtivis.

Nota, quod exercitatio Fidelium diebus Dominicis & Feſtivis debet eſſe præterea in precibus, diviniſque laudibus, in frequentatione Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, in Concionibus & Catechiſmis audiendis, in operibus miſericordiæ exercendis, &c.

De quarto Præcepto.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, &c.

Obſerva 1. Iſtud Præceptum eſſe primum ſecundæ tabulæ, quæ ſpectat dilectionem proximi: cumque inter proximos primum locum obtineant parentes, ideo iſtud præceptum eſſe de officiis exercendis erga parentes, qui poſt Deum a nobis honorandi, & amandi ſunt.

Cur primū Præceptum ſecundæ tabulæ ſpectet parentes.

Cur longitudinitas vitæ promissa sit observantibus istud Præceptũ.

Observa 2. Observantibus illud Præceptum mercedis loco promitti longiturnitatem hujus vitæ; jure enim ac meritò iis diuturna vita promittitur, qui gratiam illis referunt a quibus post Deum usuram hujus vitæ acceperunt.

An conceditur omnibus.

Si qui autem obedientes filii citius rapiuntur ex hac vita, illis Deus immatura morte meliùs consulit.

Quid intelligatur nomine *honoris*, & quænam sint officia erga parentes exhibenda.

Observa 3. Nomine *honoris* exhibendi parentibus intelligi. 1. Amorem. 2. Reverentiam tum internam, tum externam, quæ signis, verbis, & obsequis tàm temporalibus, quàm spiritualibus exhibeatur. 3. Obedientiam in justis, licitis & honestis.

Quinam intelligendi nomine *parentum*.

Observa 2. *Parentum* nomine intelligi primò parentes, a quibus geniti sumus. 2. Superiores Ecclesiasticos & Sacerdotes. 3. Superiores Politicos, Magistratus & Dominos. 4. Tutores, & Pedagogos. 5. Senes.

Observa 5. Quod, cùm sint reciproca officia filiorum erga parentes, & parentum erga filios (utraque enim Lege naturæ præscribuntur) parentum officia erga filios ad istud præceptum reducuntur. Hæc autem sunt:

Quænam sint officia parentum, erga filios

1. Amare filios. 2. Illis alimenta præstare, & ad statum honestum eos promovere. 3. Ipsos ad pietatem, tum instructionibus tum bono exemplo inducere. 4. Peccantes ipsos convenienti correctione corripere.

Ob-

Observa 6. Ad istud Preceptum reduci officia subditorum erga Dominos & Dominorum erga subditos; item maritorum erga uxores, & uxorum erga maritos.

Observa 2. Peccari contra hoc preceptum. 1. Denegando aliquod officium parentibus, & quibus debetur. 2. Quod pejus est, ipsos odio habendo, contemnendo, injuria afficiendo, &c. Quot modis possit violari istud præceptum.

De quinto Præcepto.

Non occides.

Observa 1. Hoc præcepto prohiberi occisionem non plantarum, aut bestiarum, ut quidam Hæretici existimabant, sed hominum; uno verbo, *homicidium* voluntarium authoritate privata factum. An prohibita occisio bestiarum.

Dixi voluntarium; nam, si sit involuntarium tàm in se, quàm in sua causa, id est, si sit mere fortuitum, non est peccatum: dixi *privata authoritate*; nam, si fiat authoritate publica sive Regum & Principum in bello justo, sive Magistratuum ad puniendos malefactores, & procurandam securitatem publicam, non est peccatum; non enim prohibetur hoc Præcepto. Quodnam homicidiū proibitum

Addo quod neque etiam est peccatum, etiamsi privata authoritate fiat, modò fiat cum moderamine in-

culpatæ tutelæ; in defenſionem vitæ propriæ, vel proximi, maximè propinquorum & amicorum, aut etiam in defenſionem juſtam & neceſſariam bonorum temporalium vitæ ſtatuſve conſervationi neceſſariorum.

Quid præter homicidium hoc Præcepto prohibeatur.

Obſerva 2. Nomine *homicidii*, quod prohibetur, non ſolùm intelligi occiſionem alterius hominis, ſed etiam ſui ipſius, neque occiſionem duntaxat, ſed præterea. 1. Mutilationem, verberationem, læſionem, alioſque actus, qui tendunt in nocumentum corporale proximi, ut ſunt pugna, duellum, procuratio abortus fœtus animati vel inanimati, & cooperatio cuicumque actui proximis nocivo. 2. Omnes actus qui tendunt in nocumentum ſpiritale proximi, & maximè ſcandalum. 3. Actus etiam interiores, & voluntatem ipſam nocendi proximo; item actus quoſcumque, ex quibus quodcumque nocumentum ſequi poteſt, ut ſunt odium, invidia, ira, &c.

Quid præcipiat iſtud Præceptum.

Obſerva 3. Hoc Præcepto virtutes ſupradictis peccatis oppoſitas præcipi; manſuetudinem ſcilicet, patientiam, pacem, beneficentiam, &c.

De ſexto Præcepto.

Non mœchaberis.

Quid prohibeat ſextum Præceptū.

Obſerva 1. Hoc præcepto primariò quidem prohiberi *mœchiam*, id eſt,

est, Latinè *adulterium*, quod præter turpitudinem carnalem, injustitiæ in proximum crimen continet; sed præterea prohiberi omnem luxuriæ speciem, omnemque actum impudicum, tàm perfectum quàm imperfectum, sive exteriorem sive interiorem; prohiberi denique omnia vitia luxuriæ incentiva, ut sunt gula, & ebrietas; uno verbo, prohiberi omnem intemperantiam tàm in rebus venereis, quàm in cibo & potu.

Observa 2. Hoc Præcepto temperantiam cum virtutibus affinibus præcipi. Quid præcipiat.

De septimo Præcepto.

Non furtum facies.

Observa 1. Quod isto Præcepto prohibetur omnis injusta acceptio & usurpatio, aut retentio rei alienæ, vel etiam damnum quodcumque proximo illatum; ac proinde prohibentur fraudes in contractibus, usuræ in mutuis, omnisque injustitia, quę potest inferri proximo in bonis ipsius; & quælibet cuicumque injustitiæ cooperatio, denique avaritia, quæ omnis injustitiæ mater est. Quid prohibeat istud Præceptum.

Observa 2. Hoc præcepto imperari justitiam, quæ est virtus reddens unicuique quod suum est; ac proinde præcipi restitutionem bonorum; Quid præcipiat.

quæ alterius ſunt, ſive injuſtè, ſivè juſtè accepta ſint, atque reparationem damnorum injuſtè illatorum. Sed præterea præcipiuntur beneficentia, liberalitas, eleemoſyna, &c.

De octavo Præcepto.

Non loqueris contra proximum falſum teſtimonium.

Quid prohibeat octavum Præceptū.

Obſerva 1. Hoc præcepto prohiberi principaliter falſum teſtimonium contra proximum in judicio, deinde omnem injuſtitiam judicum, reorum, accuſatorum, patronorum, procuratorum, aliorumque officialium judicialium.

Obſerva 2. Prohiberi omne mendacium non ſolùm in judicio, ſed & extra illud.

Quotuplex mendaciū.

An omne ſit peccatū.

Porrò mendacium triplex; perniciosum, officioſum, & jocoſum. Perniciosum eſt illud, quod infert detrimentum proximo; officioſum, quod ſine cujuſquam injuria ſit pro commodo alterius: jocoſum, quod ſit ſola placendi, vel delectandi voluntate, ſine injuria cujuslibet. Omne mendacium eſſe contra Legem Dei, certiſſimum eſt, cum hoc tamen diſcrimine, quod perniciosum ſit lethale peccatum, jocoſum verò, & officioſum ſint tantùm peccata venialia. Mendacium autem propriè

est locutio contra mentem cum intentione fallendi.

Mendacio affines sunt æquivocationes, & restrictiones mentales; hypocrisis, & simulatio sunt mendacia in factis, si non in verbis.

Quid sit mendacium.

Observa 3. Prohiberi præterea isto Præcepto detractionem, contumeliam, calumniam, susurrationem, comminationem, irrisionem, & quamcumque injuriam verbis illatam proximo; nec non etiam judicia temeraria, & suspiciones pravas conceptas de proximo, ex levibus nempe conjecturis.

Quid præterea prohibeat istud præceptum.

Observa 4. Quod hoc Præcepto veritas, aut potius veracitas in dictis & factis præcipitur; veritas tamen non semper est manifestanda, ne violetur secretum naturale, aut Confessionis, & ne fiat injuria alicui.

Quid præcipiat.

De nono, & decimo Præceptis.

Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum &c.

His duobus Præceptis duplex concupiscentia prohibetur: nono quidem concupiscentia alienæ uxoris, decimo verò concupiscentia rerum omnium quæ proximi sunt; prima concupiscentia spectat libidines & voluptates

Quid prohibeatur in duobus præceptis.

ptates, altera ſpectat quidquid utile eſt, & fructuoſum; & utraque prohibetur his Decalogi poſtremis præceptis.

Cur hæc præcepta expreſsè tradita.

Obſerva, quodquamvis nonum Præceptum ſub ſexto, *Non mœchaberis*, & decimum ſub ſeptimo, *Non furtum facies*, comprehendantur, attamen explicitè & diſtinctè tradi ambo conveniens, & neceſſe fuit, maximè ob duram cervicem Populi Judaici; nam ex Judæis illi etiam, qui doctiores habebantur, exiſtimabant voluntatem peccandi non eſſe peccatum, ſi in opus externum non prorumperet.

De Præceptis Eccleſiæ.

Quot & quænam ſunt Præcepta Eccleſiæ?

Sex ſunt, nempe iſta.

I.

Statutos Eccleſiæ Feſtos dies celebrato.

II.

Sacrum Miſſæ officium diebus Feſtis, ſicut & Dominicis reverenter audito.

III.

Ab eſu carnis diebus Veneris & Sabbati, aliiſque quibuſdam præſcriptis abſtineto.

IV.

Jejunia certis diebus, ac temporibus,

bus, maximeque per totam Quadragesimam indicta observato.

V

Peccata tua Sacerdoti proprio, vel alteri facultatem habenti singulis saltem annis confitetor.

VI.

Sacrosanctam Eucharistiam, ad minimum semel in anno, idque intra quindenam Paschalem, sumito.

Sex illa Præcepta sex hujus versiculi vocibus denotantur.

Festa, sacrum, caro, jejunans, Confessio, Pascha.

Nota circa primum & secundum Preceptum, quod Christiani tenentur sub peccato mortali ad celebrandos dies Festos ab Ecclesia institutos, vel a tempore Apostolorum, vel postea, ut beneficiorum Dei memoriam piè recolant, & mysteria nostræ Religionis commemorent, vel ad celebrandam memoriam Beatæ Virginis, Apostolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum. Deinde quod ad celebrandos hos dies Festos, sicut & Dominicos, tenentur abstinere ab operibus servilibus, & ad audiendum Sacrum.

Cur Festa ab Ecclesia instituta sint.

Quomodo debeant celebrari.

De quinto Præcepto & sexto dictum est supra, cùm fuit tractatum de Eucharistia & Pœnitentia.

Nota circa 3. Præceptum & 4. Quod Ecclesia potestate sibi a Christo data in omnes Christianos instituit, & præcepit abstinentiam a carne certis diebus anni, sed maximè

Cur institutæ sint abstinentiæ.

ximè omnibus diebus Veneris & Sabbati in memoriam Dominicæ Passionis, & sepulturæ; ac præterea jejunium per totam Quadragesimam, Quatuor anni Temporibus, & in vigiliis præcipuarum solemnitatum, verbi gratia, Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Apostolorum, & Martyrum quorundam, ac denique solemnitatis Sanctorum omnium; jejunia autem instituta sunt, ut per illa Fideles ad Festa religiosè celebranda præparentur.

Quid sit jejunium Ecclesiasticum.

Porrò jejunium Ecclesiasticum est *abstinentia a certo ciborum genere, pluribusque in die refectionibus, secundùm modum ab Ecclesia præscriptum, & propter finem pietati congruentem.*

Quinam cibi sint prohibiti diebus jejunii.

Dicitur 1. *Abstinentia a certo ciborum genere*, id est ab esu carnis, & præterea in Quadragesima ab ovis & lacticiniis; quibus tamen lacticiniis in quibusdam Regionibus, ut in Gallia, uti licet ex legitima consuetudine, & Ecclesiæ concessione.

An plures refectiones sumi possint.

Dicitur 2. *pluribusque in die refectionibus*; unica enim refectio in die jejunii permittitur, quam refectionem circa meridiem sumere licet, non multò antè: vespertinis tamen horis ex usu ab Ecclesia non improbato fieri potest *collatio*, ut vulgo dicitur, id est, cœnula sive modici cibi sumptio, ne potus noceat potius, quàm ut corpus reficiatur.

Di-

Dicitur 3. *propter finem pietati congruentem*; finis autem ille est tum carnis mortificatio, & concupiscentiæ refrænatio, tum etiam mentis ad orationem præparatio, tum denique satisfactio pro peccatis, & divinorum beneficiorum impetratio.

Quinam fines Ecclesiastici jejunii.

Nota, jejunium Ecclesiasticum distingui a jejunio naturali, & generali: jejunium naturale est *abstinentia a quocumque cibo, & potu, etiam modico, a media nocte*, quod jejunium etiam præcipitur ab Ecclesia ante sumptionem Eucharistiæ; jejunium generale est *abstinentia ab omnibus illicitis voluptatibus, & peccatis*.

Quid sit jejunium naturale, quid generale.

SECTIO ULTIMA.

De Oratione Dominica.

Quid est Oratio Dominica?

EST *regula postulandi, Fidelibus a cœlesti jurisperito data*. Ita Divus Augustinus.

Vel est *formula Christianæ precationis a Christo Domino instituta*.

Observa 1. Orationem Dominicam antecellere omnibus aliis Orationibus, quia a Christo Domino tradita est; deinde quia paucis, iisque ordinatè dispositis, continet omnia, quę piè a Deo petenda sunt.

Cur Oratio Dominica omnium regula sit orationū.

Observa 2. Orationem Dominicam complecti, post breve exordium, se-ptem

Quot sint petitiones in Oratione Dominica.

ptem petitiones, quarum tribus primis æterna bona poſcuntur, reliquis verò quatuor temporalia bona, quæ ſunt neceſſaria ad obtinenda æterna: vel alia diviſione, quatuor primæ oſtendunt bona, quæ deſiderare & petere debemus, tres verò ultimæ mala, quæ deprecari debeamus. Bona quæ petere debemus, ſunt. 1. Honor & gloria Dei. 2. Noſtra beatitudo. 3. Obedientia voluntati Dei, qua illam beatitudinem aſſequamur. 4. Suſtentatio animæ & corporis, quæ etiam neceſſaria eſt ad illam beatitudinem aſſequendam. Mala verò quæ deprecari debemus, utpote quæ nos avertant a ſummo bono, ſunt 1. Peccata, quæ aditum beatitudinis nobis præcludunt. 2. Tentationes, quæ nos in peccatum pertrahunt. 3. Calamitates & pœnę hujus, & alterius vitæ. Septem ergo petitionibus iſta bona petimus iſtaque mala deprecamur, ut amplius patebit ex illarum explicatione.

Quomodo diſtinguatur.

Procœmium. *Pater noſter qui es in cælis*. His verbis mens ad Deum elevatur & præparatur ad ipſum orandum, illa enim vox, *Pater*, oſtendit paternam erga nos Dei bonitatem; valetque maximè ad ſpem noſtram erigendam, amoremque noſtrum concitandum; iſtæ verò, *Qui es in cęlis*, oſtendunt divinam ejus majeſtatem, & potentiam, & appoſitæ ſunt, ut cum humilitate & reverentia ad Deum deprecaturi accedamus.

Cur dicatur *Pater*.

Cur dicatur *qui es in cœlis*.

Porrò

Porrò Deus dicitur, & est *Pater*, 1. Creatione. 2. Gubernatione & Providentia. 3. Redemptione. Dicitur verò *noster* quia. 1. Sumus Filii Dei adoptivi per gratiam. 2. Fideles sunt inter se fratres, & filii ejusdem Patris, nempe Dei; immò & omnes sunt fratres Christi: ideoque hæc vox apposita est, ut hæc oratio sit omnium communis, id est, pro omnibus, nomine omnium Ecclesiæ Fidelium Deo facta, sicque fraternam erga omnes, etiam inimicos, charitatem excitet, sine qua charitate, Deo grata esse non potest. Dicitur, *Qui es in cœlis*, non quod in cœlis duntaxat existat, est enim immensus & ubique; sed quia in cœlis, tanquam in nobilissima mundi parte, suam majestatem præsertim manifestat.

Quomodo Deus sit Pater noster.

Cur dicatur *noster*.

An Deus sit in cœlis tantùm.

Prima petitio. *Sanctificetur nomen tuum*, his verbis primus, ut nomen Dei sanctificetur, quod non sic petimus quasi in se sanctum non sit, sed ut Sanctum habeatur ab omnibus hominibus; id est, petimus, ut Deus, qui in se Sanctus est, ab omnibus Sanctus habeatur, sive, ut Sanctus ab omnibus cognoscatur, & colatur Fide, Spe, Charitate, & Religione: nec ab ullis contemnatur.

An nomen Dei possit sanctificari, & quomodo.

Secunda. *Adveniat regnum tuum*. Petimus his verbis, non ut Deo regnum adveniat, ipse enim habet potestatem in omnes creaturas; sed peti-

An regnū possit advenire Deo.

Quomodo ad nos veniat. petimus, ut regnum ejus ad nos veniat, id est, regnet in nobis Deus in præsenti vita per gratiam suam; qua domet pravas cupiditates nostras, & deinde in altera per gloriam, seu, ut regnemus cum illo in cœlis: petimus præterea secundum Christi adventum, in quo, devicta diaboli tyrannide, plenè regnabit, nosque cum illo, triumphata morte, & resuscitatis corporibus, regnabimus.

De regno Christi.

Tertia. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Cùm nomen Dei, ut par est, sanctificari non possit, nec ad regnum ejus possimus pervenire, nisi voluntatem ejus faciamus; ideo congruè hæc petitio tertia aliis duabus subjungitur.

Voluntas Dei est, ut ipsius præceptis obediamus.

Primus autem his verbis, ut nos faciat Deus suis obedire mandatis; sive ad fidem pertinentibus, sive ad mores, sive ab ipso, sive ab Ecclesia, ejus nomine propositis.

Petimus præterea, ut suam nobis Deus manifestet voluntatem in variis & difficillimis vitæ temporibus, nostramque suæ conformet in omnibus, maximè in adversis rebus.

Quomodo intelligendum *Sicut in cælo, & in terra.*

Petimus denique, ut quodcumque vult Deus, adimpleatur a nobis, quemadmodum adimpleatur ab Angelis & civibus cœlestibus, summa scilicet facilitate, charitate, & summo gaudio: vel adimpletur non solùm a spiritu, qui *cæli* nomine desi-

designatur *terra*: vel denique adimpleatur a peccatoribus, qui *terreni* dicuntur, sicut adimpletur a justis, qui *cœlestes* sunt, & quorum conversatio est in cœlis.

Quarta. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Panis nomine intelligitur id omne, quod ad præsentis vitæ subsidium est necessarium, sive cibus & potus, sive indumenta, cæteraque omnia, sine quibus non possumus commodè vivere, prout vitæ necessitas, vel status nostri decorum exigunt. Quid petamus nomine *panis*.

Panem itaque postulando, petimus, ut ista omnia necessaria nobis donentur, non verò superflua, quæ ad luxuriam vel fastum pertinent: panem autem *nostrum* petimus, id est, qui a nobis, nostro labore, ac jure acquirendus sit, non injuria, fraude, furto, aliisque viis iniquis: *quotidianum* verò *hodie* dari petimus, ut his verbis excludatur inordinata sollicitudo *crastini*, & paupertatem Evangelicam, qua affectus a terrenis abstrahatur opibus, & doceamur & profiteamur. Quare dicatur *noster*. Quare *quotidianus*.

Nota, quod panem, quem *quotidianum* dicimus, vertat *supersubstantialem* Latinus interpres Matthæi, vel in eadem significatione, de qua supra, quasi *supersubstantialis* sit idem, ac *super substantiam adjectus*, & ipsi necessarius ad eam quotidie conservandam, & roborandam: vel in alia significatione, quasi *supersubstantia-* Quid sit panis *supersubstantialis*.

lis sit, *super omnes substantias*, & creaturas; sicque petendo supersubstantialem panem petimus omnia, quæ sunt necessaria ad nutriendam animam, maximè autem Eucharistiam, aliaque Sacramenta, verbum Dei, justitiam, & cætera gratiæ quotidianæ auxilia.

Quisnam sit panis animæ.

Quid sint debita nostra.

Quinta. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Peccata *debita* sunt, quibus justitiæ divinæ obstricti tenemur, eorum igitur remissionem a divina misericordia petimus his verbis.

An omnes homines verè sint peccatores.

Ut autem hanc remissionem obtineamus, debemus nos non tantùm humiliter profiteri, & sed veraciter agnoscere reos multorum peccatorum in quæ quotidie labimur; nam Fidei dogma est, Scriptura & Conciliis firmatum, nullum; exceptis Christo Domino, ejusque Matre Virgine Maria, esse, fuisse, vel futurum esse sine ullo prorsus peccato, etiam veniali, in hac vita; idque contra Pelagianos asserentes, omnia peccata etiam venialia ita vitare posse, ut multi sint, & fuerint in hac vita ab iis omninò immunes.

An Oratio Dominica sufficiat ad purganda peccata.

Nota hac sola Oratione remitti peccata venialia & quotidiana, si omninò displiceant, eorumque affectus deponatur, secùs verò mortalia; ad ista enim purganda, insuper opus est gravioris satisfactionis labore, & gratia Sacramenti Pœnitentiæ, vel saltem illius voto.

Nota

Nota deinde quod huic postulationi remissionis obtinendæ est adjecta a Christo hæc conditio, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, si veniam velimus accipere a Deo nostrorum peccatorum, oportet, ut veniam concedamus illis, a quibus injuriam accepimus.

Cur addita sint hæc verba: *Sicut & nos dimittimus, &c.*

Observa tamen illum, qui vindictæ appetitum extinguere vult, sed vix potest, iram Dei non incurrere, nec peccare hanc orationem recitando; nam 1. Nomine Ecclesiæ, in qua multi sunt justi, qui injurias inimicis remittunt, hanc Orationem profert. 2. Hac Oratione postulat Pœnitentiæ, & Charitatis dona, quibus hanc obtineat voluntatem remittendi injurias inimicis.

An vindictæ cupidi hanc Orationem dicere possint.

Sexta. *Et ne nos inducas in tentationem.* His verbis primus non simpliciter & absolutè, ut Deus tentationes omnes avertat a nobis; tentationes enim utiles nobis sunt aliquando, ad excitandam fidem & vigilantiam nostram; ad patientiam exercendam, ad virtutem probandam, domandamque superbiam nostram, ob illos enim fines aliquando nos tentat Deus, aut tentari permittit; neque etiam petimus, ne Deus nos tentet, impellendo in peccatum, aut illud nobis suggerendo, sic enim Deus neminem tentat neque tentare potest; sed petimus, ne occulto judicio, attamen justo, gratiam suam nobis subtrahat, atque nos de-

An tentationes sint aliquando nobis utiles.

An Deus aliquando nos tentet: & quos ob fines.

se-

ferat, ficque permittat, nos fuperari & vinci a tentationibus mundi carnis, & diaboli, qui diabolus ideo *tentator* in Scripturis appellatur, quia nos tentat, ut in peccatum propellat, & in æternum perdat.

Quot ob fines nos tentet diabolus.

Tentationes funt vel a carne, vel a mundo, vel a diabolo.

Petimus itaque auxilium gratiæ Dei, quo carnis illecebras, cupiditatefque domemus; quo fupremus omnem mundi malitiam, five ejus perfecutiones five blanditias, quo omnes diaboli tentationes ad malum inducentes vincamus, ficque in bono perfeveremus ufque in finem.

Petimus denique, ut cùm Deus ipfe variis flagellis nos caftigat vel tentationibus variis, five externis, five internis virtutem noftram probare intendit, tentationum illarum & probationum felicem faciat effe exitum.

Cur diabolus dicatur *malus* feu *malignus*.

Septima, *Sed libera nos a malo*. His verbis non tantùm petimus, ut liberemur a diabolo, quia *malus* per antonomafiam dicitur, quia in extremo malitiæ conftitutus eft, & quia omnium malorum noftrorum author eft, non tantùm etiam petimus, ut liberemur a malo culpæ, quod fuperius poftulavimus, fed præterea petimus, ut liberemur a malo pœnæ, tàm in hac, quàm in futura vita: petimus ut liberemur ab omnibus adverfitatibus, quæ animę, corpori, fortunis, & famæ, acciderunt, imminent, aut accidere poffunt; ficque hanc petitionem inter-

pre-

pretatur Ecclesia dicens in Missa. *Libera nos ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris.*

Istam autem liberationem ab omnibus malis petimus, ne inferant impedimentum, tàm obsequio atque amori erga Deum, quàm nostræ saluti. Liberatio verò illa benignitate Dei fieri potest vel propulsione illorum malorum, vel saltem attemperatione viribus nostris, ut ea patienter tolerare possimus.

Quot modis Deus nos liberare possit a malis.

Petimus denique liberationem ab omni prorsus malo tàm ignorantiæ quàm concupiscentiæ, & corruptionis, quæ liberatio non perficietur, nisi post hanc mortalem vitam, cùm *mors absorta fuerit in victoria.*

Quandonã fiet perfecta liberatio ab omnibus malis.

Amen. Hæc vox Hebræa vim habet vel affirmandi, idemque significat ac *verè*, seu *verum est*; vel exprimendi desiderium, aut consensum, cujus sensus est iste, *fiat*, & in hoc sensu hìc sumitur, Orationemque Dominicam claudit ac veluti obsignat; hanc igitur vocem pronunciantes, attentionem nostram recolligere debemus, ac summo studio petere, ut omnia fiant, id est concedantur, quæ antea petiimus.

Cur dicendum *Amen*.

Da

De Salutatione Angelica.

Quare post Orationem Dominicā dicatur Salutatio Angelica.

Orationi Dominicæ, longo usu Ecclesiæ, subjungitur Oratio ad Beatam Mariam Virginem, Advocatam & Mediatricem nostram apud Filium suum Jesum Christum, ut ejus patrocinio beneficia petita facilius a Deo impetremus.

Cur hæc dicatur Salutatio Angelica.

Ex quibus verbis cōponatur.

Hæc autem Oratio dicitur *Salutatio Angelica*, quia incipit verbis, quibus Beatam Virginem salutavit Archangelus Gabriel, nempe istis: *Ave gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus*; sequentia verba, *& benedictus fructus ventris tui*, sunt verba sanctæ Elisabeth salutantis ipsam; postrema verò, *sancta Maria, Mater Dei ora pro nobis, &c.* adjecta sunt ab Ecclesia in Concilio, ut vulgò creditur, Ephesino congregato contra Nestorium, negantem Mariam esse Matrem Dei.

Quis finis sit illius primæ partis quæ est propriè Salutatio.

Observa, quod prima parte hujus Salutationis, quæ propriè *Salutatio* est, Deum summis laudibus celebramus, ipsique gratias agimus, quod sanctissimam Virginem omni cœlestium donorum munere cumulaverit, ipsam a communi maledictione exemerit, atque ad dignitatem Matris sui Filii evexerit: simul & ipsi Virgini hanc fœlicitatem gratulamur, ut ejus apud Deum intercessionem, & fa-

favorem nobis conciliemus: secunda vero parte, quæ propriè *Oratio* est, petimus, ut pro nobis intercedat apud Deum, & Filium ejus Jesum Christum in hac mortali, ac misera vita, sed præcipuè in hora mortis in qua, cùm insurgant graviores tentationes, quibus succumbere periculosum est, ejus patrocinio maximè indigemus. Quis finis alterius partis quæ est *Oratio*.

De Horis Canonicis.

Quid sunt Horæ Canonicæ?

Sunt *preces publicæ & determinatæ, ex Sacrorum Canonum Decreto, ab Ecclesiasticis personis, Horis nocturnis & diurnis, nomine Ecclesiæ, ad Deum studiosè pariter, & devotè persolvendæ.*

Dicitur 1. *publicæ*, quia ab Ecclesiæ Ministris & nomine Ecclesiæ in Ecclesia recitantur.

Dicitur 2. *determinatæ*, quia ab Ecclesia institutæ sunt, & certo ordine dispositæ; unde qui Romanum Breviarium recitare tenentur, exactè Rubricas illius & scire, & observare tenentur; sic etiam qui Breviaria Diœcesana, vel particularia recitant, illorum Rubricas observent, necesse est.

Preces autem illæ *Breviarium* vocan-

Quare Breviarium sic appelletur. cantur, quia continent summam abbreviatam totius Scripturæ sacræ, tum veteris, tum novi Testamenti, sermonem Sanctorum Ecclesiæ Patrum, nec non Historiæ Ecclesiasticæ.

Quare Horæ dicantur Canonicæ, & quinam teneantur ad eas recitandas. Dicitur 3. *ex sacrorum Canonum Decreto, ab Ecclesiasticis personis*, quia sacris Canonibus illæ preces præcipiuntur Beneficiariis, idque sub pœna peccati mortalis, & amissionis fructuum Beneficii, si illas sine causa legitima voluntariè recitare omiserint: hinc illæ preces dicuntur *Canonicæ*.

An omnes Clerici. Observa, Clericos etiam non Beneficiatos, si sint sacris Ordinibus insigniti, teneri etiam sub pœna peccati mortalis ad recitationem Breviarii, idque non tàm ex Canonum Decreto, quàm ex consuetudine, & praxi generali totius Ecclesiæ, quæ Legis vim obtinuit.

An etiam Religiosi. Observa deinde, Religiosos utriusque sexus, quos professio Choro, recitandoque officio divino addicit, teneri etiam sub peccato mortali ad recitationem Officii, ex consuetudine & praxi in Religionibus vigente.

Quare dicantur Horæ. Dicitur 4. *horis nocturnis & diurnis*; hinc preces illæ *Horæ* dicuntur, immò singulæ variis noctis & diei horarum nominibus designantur;

Quot sint, & quænam. sunt enim septem sic nominatæ, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia,

tia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium.

Porrò sunt septem, ut meritò Ecclesiastici cum Propheta dicere possint, *septies in die laudem dixi tibi*; ac præterea ut illæ preces respondeant horis Passionis Christi, quam in Officio divino, præcipuè meditari debent Ecclesiastici viri, juxta vulgatos illos versus.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus Horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Dicitur 5. *nomine Ecclesiæ*: qui enim choro non intersunt, nihilominus ad recitandas Horas Canonicas privatim tenentur; easque persolvunt, ut Ministri Ecclesiæ: undè qui in sacris Ordinibus Diaconatus, & Presbyteratus constituti sunt, semper dicere debent, *Dominus vobiscum*, excommunicatis exceptis, qui tamen a recitandi Officii onere non eximuntur.

Quinam dicere debeant *Dominus vobiscum*.

Dicitur 6. *studiosè pariter, & devotè*: studiosè, nempe quoad officium

oris.

oris, distinctè omnibus & singulis verbis ore prolatis; devotè quoad officium cordis, id est, attentè, & reverenter; attentè, id est, cum attentione, tum ad verba, tum ad sensum verborum, vel ad Deum circa quem mens occupetur, & cor versetur: reverenter, id est, cum reverentia, tum interna, tum externa.

Quænam requirantur ad debité Horas Canonicas recitandas.

Quænam attentio requiratur.

Nota, quod sine attentione non satisfit obligationi Officii recitandi, cùm nempe per notabilem Officii partem illa attentio impeditur distractione voluntaria, sive in se, sive in sua causa: at si distractiones sint involuntariæ, impeditur quidem attentio actualis, sed virtualis perseverat, sicque nihilominus satisfit obligationi.

Quotuplex attentio, Quotuplex distractio.

Dicitur 7. *ad Deum persolvenda*; hinc dicuntur *Officium Divinum & Ecclesiasticum*: æquum enim est, ut illi qui ex suo statu cultui divino peculiariter dicati sunt, isto Officio apud Deum fungantur, ipsum laudando & orando, tàm pro se, quàm pro tota Ecclesia cujus sunt Ministri, & præcipua membra.

Quis finis Officii divini.

Quare Officium dicatur.

Observa tamen ex justitia propriè dicta Beneficiarios teneri ad Officium divinum recitandum, itaut, si huic obligationi non satisfecerint, teneantur ad restitutionem fructuum pro rata parte omissionis illius: unde in Jure Canonico dicitur *Beneficium da-*

ri pro-

ri propter officium, Officii autem nomine intelliguntur præsertim Horæ Canonicæ.

Porrò Beneficium definitur *perpetuum jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis: competens Clerico propter Officium spirituale*. Quid sit beneficiũ.

FINIS.

N. 37.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del P. *Frà Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore di Venezia*, nel Libro intitolato: *Catechismus ad ordinandos juxta Doctrinam, &c.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie, di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 22. Maggio 1741.

(Gio. Emo Procur. Ref.
(Pietro Grimani Cav. Proc. Ref.
(

Registrato in Libro a carte 6.

Antonio Paulucci Segretario contro la Bestemia.

Agostino Bianchi Segretario.

